ſuum ſtudium eſt: alii in inuſitatis, ſingularibuſque exercitationibus; alii in extrėmis: alii in eo, quod nitet, ac fulget, alii in eo, quod terret, ac abjicit. Alii eam ſibi fingunt extra ſtatum ſuum, alii ultra vires, & poteſtatem ſuam. Alii hanc eſſe putant urbanitatis officiis, reguliſque in hujus mundi conſuetudine ſervandis oppoſitam: alii denique illam prorſus contrariam opinantur arctiſſimis etiam obligationibus, ac particularibus muneribus, quibus in mundo defungi tenentur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci ad hoc argumentum ſpectantes.

Vulgo devotio falſis coloribus exhibetur,

DEvotio, quæ propria eſt Chriſtifidelium virtus non æquioribus delineata coloribus fuit, quam virtus Philoſophorum, qui eam collocarunt in altiſſimo montis faſtigio, horrentibus undique ſpinis conſiti, aſperrimiſque rupibus præpediti; eique ſocios dedēre laborem, doloremque, veſtem hirtam, atque horribilem, ac oris habitum ad terrorem injiciendum aptiſſimum. Hæc quidem amaritudine, ac auſteritate conflata eſt, ciliciis induta, atque iis omnibus armata, quæ in pœnitentia magis aſpera ſunt, atque horrentia. Alii eam omnia faſtidientem ſibi fingunt, ſolitudinis amantem, honeſtiſſimarum voluptatum inimicam, quæ ſimul ac aliquod tectum ſubierit, inde ſtatim ſocietatem, ſolatia, & hilaritatem expellit. Agreſte illi temperamentum tribuunt, ita ut omnem oderit urbanitatem, ornatus omnes contemnat, pretioſam ſupellectilem abominetur, flammis ornatus omnes addicat, & lacrymis tantummodo alatur. Quid dicam amplius? exhibetur tamquam larva quædam macie confecta, quæ Templis numquam pedem effert, numquam in mundi lucem prodit, eos, quicumque acceſſerint, terret: ac mirum eſt, ſi devotio ita perſonata, atque his deformata coloribus nemini placeat, nullum habeat ſpectatorem? Inſigne facinus eſt ex re adeo præſtanti terriculamentum efficere. Immodicæ ſeveritates non minus ſcandalum adferunt, quam importunæ indulgentiæ; qui timidas deterrent animas horrentem illis devotionis graphidem proponentes, vel a recta virtutis via detorquent uſi imaginibus horrorem injicientibus ejus rei, quæ amabilis eſt, nihilo minus ſunt veræ pietatis inimici, quam qui illam laxioribus ſententiis impugnant. *P. le Moine in libro, cui titulus, la devotion aiſée.*

Devotio nequaquam inacceſſibilis eſt, quemadmodum nonnulli conantur obtrudere; ſublimes quidem regiones habet pro magnis animabus, quas ad eminentem perfectionem Deus vocat; at quaſdam humiliores etiam pro illis, quæ ægre per viam virtutis incedunt, ideoque non ſolum pro illis eſt, qui ſecularibus curis ſunt omnino expediti, verum etiam pro illis, qui domeſticis negotiis impediti ſunt, & omnibus officiis, omnibuſque vitæ communis neceſſitatibus vacant. Hi quoque, non ſecus ac Religioſi, ſalutem ſuam operari, beatamque æternitatem ſibi acquirere debent. Mundi impedimenta illos a Chriſtianæ Religionis officiis nequaquam ſolvunt; & Sancti cujuslibet conditionis, qui in cœlo ſunt liquido probant nullam eſſe conditionem, quæ ſanctificari non poſſit; maximas opes, magnaſque virtutes ſibimet non adverſari, atque e ſuperbis etiam regum ædibus in cœlum patere viam. Attamen numquam viſus fuit, neque videbitur unquam Sanctus religione vacuus. Nullus ergo Fidelis eſt, cui non ſit neceſſaria devotio; hæc enim virtus eſt, per quam omnibus Chriſtiani hominis officiis defungimur. *Idem.*

Singulorum devotio ſtatui ſuo debet eſſe conformis.

Hac in re illud primum diligentius eſt attendendum, quod quilibet virtutis formam, atque devotionis menſuram ex ſtatus ſui muneribus, officiiſque deſumere debet; & quidquid huic formæ abnorme eſt, licet alioquin egregium, atque ſpecioſum; quidquid ab hac menſura recedit licet illam magnopere excedat, inanem eſſe ſupererogationem, Deo quidem nequaquam acceptam, ad perſonam vero devotam efficiendam inutilem. Hoc autem poſito, quot, heu, exercentur auſteritates, quæ tamquam actiones heroicæ putantur, & quæ facta ſunt importuna, ordinem tamtummodo perturbantia? Quot devoti, devotæque miracula ſe patrare putant, cum præſtigia operantur; aerem verberantes, ut loquitur S. Paulus, fatigantur, ſummo anhelitu currunt, & ſemper a meta recedunt, quia extra ſuum ſtadium currunt! Quot Templorum, Xenodochiorumque viſitationes illis inutiles ſunt, quæ domi manere, domeſticæque rei cura gerere debent! *Idem.*

Haud equidem ignoro, animas magis elevatas inveniri, quam vulgo ſint aliæ; quæ intra ſtatus ſui officia ſe minime continent, neque intra eos fines, quos lex indigitavit, ſubſiſtunt. Liberalem habent juſtitiam; atque operibus bonis cumulum addere quærunt; & niſi quæ debent, cum fœnore perſolverint, ſe munus ſuum adimpleſſe nequaquam putant. Verum hæc abundans juſtitia eam gratiæ affluentiam ſupponit, quę non omnibus datur. De communi agimus pietate, quę munerum omnium fundamentum eſt, & quæ obligat ſingulos ad quos extenditur. Quibus addendum eſt, ſupererogationes ex plenitudine proficiſci debere, neque ad conſilia progrediendum eſſe, niſi prius adimpleta fuerint mandata. Deus non recipit oblationes, quæ ex furto ſibi fiunt, & deteſtatur holocauſta, in quibus adeſt rapina. Unde inferendum eos evertere potius quam ædificare, qui naturales obligationes, ac legitima officia interire ſinunt, ut pro libidine nova ſibi officia, novaſque pias exercitationes comminiſcantur. *Idem.*

Devotio moderate ſumenda,

Generale, atque perneceſſarium effatum eſt, devotionem accommodatam eſſe debere conditionibus, ac ſtatibus omnibus, eorumque officiis, atque oneribus parem. Quæ quidem ſententia perniencioſiſſimum errorem, atque illuſionem debet auferre, quæ efficit, ut tot exiſtant ignavi, ac profugi, qui devotionem excolere fatigantur, atque tot pavidi, qui eam amplecti detrectant, ne ſimiliter fatigati eam abdicare cogantur. Hæc illuſio eorum eſt, qui quod debent, non faciunt, ac meritum amittunt eorum, quæ ſupra ea, quæ debent, facere adnituntur; qui ea juſtitiæ temperantia, & ſapientiæ voluntate, de qua loquitur Scriptura, nequaquam contenti, majora aſſumunt onera, quibus ferendis non valent humeri, ac tandem ſuo pondere, quod ſubire voluere, franguntur. Id genus devotis, qui ſuo ſe impetu rapi ſinunt, ac feſtinanter curruht, cum pedetentim gradum proferre ſatis eſſet, ſuadendum eſt, ut ſatis eſſe putent eam ingredi viam, quæ in ſtatu ſuo patet; ſibi caveant, ne præpropero gradu feſtinent, neque longius præcedere velint, ne cupiditate inter cæteros emicandi ſe rapi ſinant; ne ea ſibi onera imponant, quæ & vires excedant, & officiis ſuis paria non ſint. *Idem.*

Altera in hac re illorum eſt illuſio, qui eminus majorem proſpicientes devotionem, quæ præ vulgari magis eniteſcit, atque illuc aſſequi deſperantes, ſeu quod illos viæ longitudo, atque aſperitas terret, ſeu quod detrectant illuc patienter per gradus contendere, omne prorſus devotionis genus relinquunt, & vulgaris, quæ non ſatis ampla, & præſtantioris, quæ nimis elata videntur. Inertibus his impatientibus, qui ignaviæ ſuæ inanes prætextus inquirunt, oſtendendum eſt, extraordinariam hanc devotionem, quam procul tantum proſpiciunt, & quæ illis elatior, atque perfectior videtur, eſſe fortaſſe viribus eorum minus aptam, ingenio minus accommodatam, & a ſtatus muneribus magis alienam: Fortaſſe quoque ad hanc a Deo illas nequaquam vocari, & gratiam ipſis conceſſam eo uſque nequaquam pertingere. *Idem.*

Devotio non eſt rationi, legibus, probatiſque conſuetudinibus contraria,

Devotio non eſt vel rationi, vel legibus, vel conſuetudinibus, quas leges, & ratio probarunt, contraria. Itaque cum leges, & conſuetudines velint, ut viri principes, nobiliſque, & qui ad regiam dignitatem proprius accedunt, vel in dignitate ſunt conſtituti, ornatioribus præfulgeant in togis; devotio aliquos patitur veſtium ornatus, ſub quibuſdam conditionibus, atque modis, quos & decor, & officium ipſum requirunt. Vult ornamenta hæc omni prorſus arte carere, atque immodicis curis, & adfectatis curioſitatibus interdicit; reſpuit eos cultus in quibus ſtudium, & nimia fulget elegantia, recentes indumentorum modos abhorret, qui ſua novitate commendantur, quibus nondum vel temporis præſcriptio, vel conſuetudinis approbatio, vel auctoritas acceſſit ex eorum, earumve conſuetudine, quos ſequi fas eſt, quin a virtute recedamus, & devotionem ipſam eorum cenſuræ objiciamus, qui mundum & ſequuntur, & diligunt. *Idem.*

Omnibus plane perſuaſum eſſe debet, in iis actionibus, quas nobis lex Chriſtiana præſcripſit, & quæ ad prima devotæ vitæ officia pertinent, nihil non facile inveniri. Nequaquam requiruntur ſublimia, ac mira facta, quæ niteant, & publicam in ſe admirationem convertant; verum opus eſt, ut diligenter ea fiant, quæ præcipiuntur, & communis juſtitiæ menſura ſedulo adimpleatur. Hoc illi præſtabunt, qui actionum meritum ponderare noverint, qui eas non in ſubciſivas horas, tempuſque ſolitudinis, mœroriſque remiſerint, qui in illis vitæ ſuæ optimam partem impenderint, qui ſibi perſuaſerint, ſe nonniſi per illas poſſe operari ſalutem ſuam, atque cætera quæcumque cum ſalutis negotio collata nugas, & ineptias eſſe crediderint. *Idem.*

Devotio non inutilis, ut impii dictitant.

Impii, perditique mundi amatores dictitant devotionem inutilem eſſe, ac ad id unum prodeſſe, ut emolleſcant animæ, ac illis timor incedat. Ne dixeris inutilem virtutem eam, ſine qua virtutes reliquæ umbra ſunt; illi enim, cui devotionis habitus deeſt, & qui virtutes omnes ad Dei gloriam non refert, vera devotio non eſt. Ne dixeris inutilem virtutem eam, quæ Dei lenit iram, atque procellas ab Imperiis avertunt; virtutem, quæ Sodomam ab ignibus cœlitus delapſis liberaſſet, ſi decem tantummodo adfuiſſent vere juſti, qui cum Abraham, inſigne illud ſupplicium fuiſſent deprecati; virtutem, quæ toties Eccleſiam a naufragio prohibet; virtutem, quæ conſcientiam profunda pace, ac divino lumine replet. Ne dixeris per hanc fidelium animas emolleſcere, quippe harum illa virtutem confirmat, efficitque, ut ipſi occurrant morti, contemnant pericula, nihilque parcant iis in occaſionibus, in quibus Dei agitur gloria. *Ex Tractatu de Devotione.*

Nemo ſane ſatis exprimere poteſt negligentiam, qua Fidelium plerique pietatis exercitia, non ſecus ac cætera excipiunt, & mira tarditate ad illa procedunt; liquido patet, illuc non ſtudio, ſed conſuetudine rapi; huc enim tamquam ad penſum, atque laborioſum opus lento gradu veniunt. Quod autem ægre facimus, parcius, quam fieri poteſt, facimus; ideoque mundo vix horæ quadrantem ſurripimus, illum daturi Deo; quod ipſum ubi fecerimus, optimos Chriſticolas nos eſſe arbitramur. Cum preces effundimus, quippe quæ graves ſunt nobis, feſtinanter eas blateramus: eiſque abſolutis, oneroſiſſima ſarcina liberari videmur. Plerique preces lingua tantum revolvunt, corde in alia diſtracto; vel ſi qua in eodem impreſſio ſiat, tantula eſt, ut brevi deleatur. Si preces indevotæ ſunt, numquid reliqua pietatis exercitia majori ſunt cum devotione conjuncta? Si Dei verbum auditur, aliqua ſane præbetur attentio, at non iis, quæ dicuntur, ſed formæ, qua dicuntur; & niſi placuerit concionator, minime auditur. Quanam vero devotione, immo quo tepore, ac frigiditate ad auguſtum Euchariſtiæ Sacramentum accedimus, ubi nobis Domini ipſius caro ad manducandum, ſanguis vero ad bibendum tribuitur? Qua majori devotione, & religionis ſenſu alia pietatis officia perſolvimus? *Idem.*

Devotio non fugit innocuas voluptates.

Devotio lætitiæ inimica non eſt: patitur innocuas a nocuis voluptates ſecerni: neque ferox eſt, neque brutalis, ſed honeſta, urbana, comis, atque modeſta. Mollitiem quidem fugit, neque floribus redimitur, ſed neque ſpinis horrens, dirutaque videri gaudet. Verbo; neceſſe non eſt, Chriſtianum, ut fidelis ſit, in ſqualore, ac mœrore verſari; e contra pietas hilaris eſt, ac libera. Cor juſti juge convivium eſt, inquit Spiritus Sanctus; & Salvator in Evangelio vetat, ne truculentum, ac macie confectum oris habitum præferamus; immo præcipit ut jejunantes etiam, atque mortificatione corpus caſtigantes caput unguentis liniamus, cum palam prodituri ſumus, ad omnem pietatis oſtentationem evitandam. *Ex eodem Tractatu de Devotione.*

Summi viri præ ceteris & ſervorum caterva, & veſtium ornatu fulgeant, dummodo immodicus ille abſit exceſſus, qui hoc ſæculo late viget; verum illis oſtendendum eſt, glorioſius ipſis futurum, ſi miſeras has abdicaverint vanitates. Certum quippe eſt ac opinionem nullo umquam ſæculo fuiſſe pernicioſiorem. Sumptus erogare ſuæ conditioni pares juxta mundi conceptum idem eſt, ac omnem ſubſtantiam in luxum, ornamenta, ſervos, opiparam menſam, aliaque id genus impendere. Cum igitur nobili viro dicimus; ne inter cæteros ejuſdem conditionis diſtingui velit; conſtat profecto, miram hanc profuſionem probari, propter quam ille egenis opem ferendo, publiciſque calamitatibus ſubveniendo ſit impar. Dicant, quidquid velint; non credam ego tamen, aliquem vere devotum eſſe, donec inani mundi pompa refulgentem conſpexero. Veram fovere devotionem citra veram humilitatem nemo poteſt; ratio autem, quæ adfertur, propter quam tot inutiles ſumptus fiunt, nempe cuique, ut ſua conditio fert, eſſe vivendum, ex ipſa ſuperbia originem duxit. Verus Fidelis ſeipſum in ſemet conſiderat, & quatenus refertur ad Deum, ſcit, ſe pulverem eſſe, cineremque, neque ignorat hæc conditionum diſcrimina a Deo non admitti. Itaque anima quælibet vere devota immodicos hos ornatus, inaneſque ſumptus abjiciet, atque in bona opera erogabit. *Idem.*

Leva judicia, quæ de devotis fiunt.

Nihil vulgatius eſt, quam judicia, ac iniqui ſermones, qui paſſim de hominibus pietatem colentibus habentur in mundo. Inter hypocritas rejiciuntur; hi ſunt falſi devoti, vulgo inquiunt, qui diligentius ſervant jejunia, qui frequentius ſacris interſunt officiis, qui aſſidue conciones audiunt, qui tanto devotionis apparatu ſuas preces effundunt, & ad Euchariſticam menſam accedunt. At numquid nos minus boni Fideles ſumus, quod minorem adfectationem præferimus? In nobis quidem invenitur, quidquid ſolidum pietati ineſt; illi inanem ejuſdem ſpeciem oſtentant. Fatendum profecto eſt, hypocriſim devotioni inſignem injuriam afferre. Non inficior, homines adeſſe, qui ſe devotos ſimulant: improbi non alio integumento frequentius, quam pietatis utuntur; ſed quod non deſunt hypocritæ ac pſeudo-devoti, idcirco inferendum eſt, nullos omnino devotos eſſe? Quia non deſunt adulterini adamantes, nulli veri adamantes invenientur? Quod nonnulli putant, ſe huic malo nactos eſſe medicinam, extrinſecus ſe devotos non eſſe adfectant; cum enim intrinſecus aliquo flagrent zelo ad hypocriſis ſuſpicionem evitandam, ſibi palam devotionem præſeferendam nequaquam eſſe arbitrantur. Verum hoc eſt ad malum evitandum in pejus ruere; ac ad duram neceſſitatem redigi, ut vel committatur ſcelus, vel in illius committendi occaſione jugiter ſimus, ſi poſtremum conſilium ſequamur. Sed facili negotio ſinceritas ab affectatione diſtinguitur; quantumvis parum mundi Sectatores hæc norint, numquam modeſtam pietatem, ſapientemque devotionem, quæ nonniſi per profundæ humilitatis nubem internitet, cum adfectata devotione confundent. *Idem.*

Devotio eſſe debet in corde.

Alii Dei legem habent in mente, ut litterati viri, qui ſtudent, ut illam ediſcant, non exſequantur, alii in ore, & lingua, ut Phariſæi: *Dicunt, & non faciunt.* Matth. 23. Plurimi eam in modeſto, devoto, mortificatoque oris habitu deferunt; & iſti ſunt hypocrytæ, contra quos Dei Filius tantopere declamavit; qui in quadam exteriori ſpecie immorantur, & dealbatis ſepulcris ſimiles externa facie, quæ quidem videtur innocens, depravatos mores abſcondunt. Sed vir bonus, inquit regius Propheta, homo vere devotus, legem Dei in ſuo corde tuetur: *Lex Dei ejus in corde ipſius.* Pſalm. 36. Hic proprius eſt ejus caracter. Ex cordis centro devotio ad omnes interioris, exterioriſque hominis facultates diffunditur; illius regit judicia, exiſtimationem, intentiones, greſſus, intuitus, voces; omnes ejus actiones, cogitationes; conſilia recta erunt, & æqua; vita illius frugi erit, & numquam virtutem inter, ac vitium mutare videbitur. Cur autem? Eamdem ſemper ob cauſam, quia *Lex Dei ejus in corde ipſius. P. Girouſt. Serm. de vera, falſaque pietate.*

Tertullianus, cum Ethnicis exprobraſſet, illis quidem ſatis eſſe, ſi extrinſecus aliquam virtutis ſpeciem ferrent præ ſe, quin negotium faceſſeret, utrum reipſa virtutem excolerent, ita in Fidelium favorem ſermoni finem imponit. Nos omnem juſtitiam exercemus, eamque in nobiſmetipſis ſervamus; vivimus enim ſub oculis Legislatoris, qui corda noſtra ſcrutatur, & ſub manu Judicis omnipotentis, qui nos ubique & percutere, & perdere poteſt. Omnia ad eam tuendam nos adigunt, perſequitur ille: & luminum Dei copia, & latendi impoſſibilitas, & impendentis æterni ſupplicii conſpectus; hæc ſunt occulta chriſtianæ pietatis artificia. At numquid illa ſunt pietatis noſtræ principia? Numquid agimus, eo quod fideliter adheremus Domino, cui famulamur? quod illius legem ſancto amore proſequimur? quod illi placendi ſincero ſtudio flagramus? quod illius erga nos beneficiis gratias habemus? an ſaltem quod illius judicia metuimus, vel præmia expectamus? Nonne ſimiles ſumus populo illi, qui labiis tenus Deus honorabat, dum cor illius procul eſſet ab eo? Nonne inter nos corruptiſſimum Judaiſmum revocamus? *Idem.*

In iis, quæ ad pieta-

Ut Deo placeamus, res velle debemus eo ordine, quo Deus illas vult; ipſius enim voluntas noſtræ

tem ſpectant ea primum explere debemus quæ ſunt de præcepto.

ſtræ norma eſt, ac totius boni principium. Deus enim primum, directe, peculiariter a nobis fieri vult, quod jubet; atque in hoc primum curas omnes debemus impendere. Fac, quodcumque tibi placuerit; Sanctus Bernardus ait; at ne ſperes ea, quæ a te fient, Deo accepta futura, ubi illa contempſeris, quæ lege præſtare juberis: *Ingratum eſt, quidquid obtuleris, neglecto eo, ad quod teneris.* Si rite hoc intelligeretur effatum, quod tamen æquiſſimum eſt, atque intellectu facillimum; nequaquam videremus, eos, qui ſe virtutem colere profitentur, ubi ſeſe tulerit occaſio, majorem in negotiis ſuis ſollicitudinem, in quæſtu aviditatem, in ſibi obæratos crudelitatem, in litibus pertinaciam, in injuriis perſequendis ardorem præ ſe ferre, quam qui Mundum ſectantur. Nulla ſit pietatis oſtentatio, nulla exterior reformatio; hæc nequaquam jubentur; ſed major appareat charitas, major juſtitia, major integritas, major fides; hæc præcipua capita ſunt, ad hæc omnes tenemur. *Idem.*

Quænam anathemata ejaculatus eſt JESUS CHRISTUS in Phariſæos? *Væ vobis Phariſæi.* Cur autem? Vos enim qui tanta diligentia menthæ, aliarumque hortenſium herbarum decimas Sacerdotibus perſolvitis, interim obliviſcimini eorum, quæ Deo, & proximo veſtro debetis. Nonne ego quoque dicere hoc ipſum poſſem? Væ vobis, qui integras horas in ſacello quopiam ad aras provoluti tranſigitis, mox vero in cœtu nequiſſima obtrectatione proximi exiſtimationem proſcinditis? Væ vobis, qui toties ad Euchariſticam menſam acceditis, ac inde totam domum perturbatis libidine, impatientia, atque ſuperbia. Quæ pietas? Sanctus Auguſtinus exclamat; homo pauperibus ingentes eleemoſynas erogat, inſignibus donariis Eccleſias cumulat, & æs alienum non ſolvit? Quid illi dicet Deus? Mihi eos oſtenditis, de quibus bene meriti eſtis, ego vobis objicio illos, quibus pejus damnum intuliſtis: *Vos dicitis, quæ dediſtis, & ego dico, quæ furati eſtis.* Eos oſtentatis, quos aluiſtis, ego vobis obtrudo, quos ad mendicitatem redegiſtis, ac fame enecaſtis: *Vos memoramini, quos paviſtis, & non recordamini, quos occidiſtis.* Ne tot orationibus Deum fatigetis, ſed ſuaviores, atque leniores eſtote: nec tamdiu jejunetis, ſed vera vivendi ratio magis ſit conſona æquitati; ne tantam in veſtibus negligentiam præ vobis feratis, ſed animus magis excolat humilitatem; ne tot munera ad aras afferatis, ſed ea reddite, quæ veſtra non ſunt; immo aram ipſam relinquite, ſi opus eſt, ut in inimici veſtri ruatis amplexus. *Idem P. Girouſt.*

Falſa devotio ex ſecreta ſuperbia proficiſcitur.

Falſa devotio plerumque ex ſecreta ſuperbia proficiſcitur. Non enim communia ſtatus noſtri exercitia ſufficiunt, quia præ ceteris emicare contendimus. Communium officiorum obſervantia quemdam nitorem ſecum non affert; volatu altiora petenda ſunt, & ſublimior ſpiritualitas inquirenda. Poſtquam in mundo famam nobis comparavimus, illam in ipſa etiam pietate aucupamur. Heu quot hac ad agendum cauſa impelluntur; qui tamen eadem ſe agi minime putant. Zelus adeo fervens, quo rapti videntur, quam citius deferveſceret ſi minori enitendi cupiditate flagrarent! *Idem.*

Hic licentiæ ſpiritus eſt; quidquid præcipitur, nobis crucem figit, & neſcio qua hominis libidine contingat, ut idipſum, quod primum ultro quærebat, ubi mox illud facere teneatur, in onus non ferendum immutetur. Quidquid facimus, in no-

Fatendum eſt in ipſa etiam Chriſtiana Religione, perpaucos exiſtere, qui tanta officii fide muneribus ſuis perfungi ſatagant, & ſi qui eamdem, ac Phariſæi illi, ſedulitatem in pietate adhibent, hos habendos tamquam ſumma virtute, ac ſanctitatis laude florentes. Sed quam diverſa ſunt ab humanis judicia Dei! Reprobat Deus Phariſaicam hanc devotionem, quia exterior tantum eſt, & ex corde non prodit. *La Font, Entretiens Eccleſiaſtiques, pro quinta poſt Pentecoſten Dominica.*

Si qui curant exteriorem vitæ ſuæ rationem componere, & reformare, pauci interioribus cordis ſui motibus invigilant, & vitam emendare, prava deſideria coercere, pravos habitus convellere, ſolidam pietatem jacere adlaborant, mores, ſenſuſque ſuos cum Evangelicis præceptis conformantes. In exteriori pietatis cortice hærent, externamque tantummodo ſpeciem conſectantur; & ex multorum agendi ratione videtur Deus illis plurimum debere, niſi palam præcipua decalogi præcepta perfringant, ac ſi manum a malo cohibeant; quamvis cor eorum ab eo non abhorreat. Hic Judaicus, & Phariſaicus cultus eſt, ac minima pars illius, quem ab Fidelibus exigit Deus; neque enim ita Deus in ſpiritu, & veritate adoratur, quod a veris adoratoribus faciendum eſſe S. Joannes tradit. Cultus autem, ut talis ſit, interiori obſervantiæ, exiſtimationis, & affectionis ſenſu debet animari. *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate.* Joan. 4. *Idem.*

Nobis ſufficere debent vulgaris devotionis viæ, donec Deus nos altius attollat.

Quænam eſt eorum cæcitas, qui ad extraordinarias, atque eminentes anhelant vias, per quas placuit Deo electas animas ad apicem perfectionis adducere! Quam ignari ſumus in via Dei, putantes, ut ſancti ſimus, ac magni in cœlo, graviſſimas auſteritates nobis eſſe exercendas, atque ad Dei gloriam procurandam, ea nobis capeſſenda, quæ vires noſtras excedunt! Errorem hunc abjiciamus: ut devoti, immo etiam ut ſancti ſimus, ſatis eſt fideles eſſe, fideliter divinis gratiis reſpondere, atque illa explere munera, quæ noſtris adhærent conditionibus non ſine ardenti deſiderio placendi Deo, & voluntatem illius perficiendi. *Idem.*

Vera pietas nequaquam poſita eſt in auſtera, mortificataque vita; omnes enim corporis mortificationes cum ſecretis cupiditatibus ſubſiſtere poſſunt, quæ omnino ſimul eſſe non poſſunt cum abſoluta, ac generali ſui ipſius abdicatione, quam ex veris diſcipulis ſuis Salvator exquirit. Ea, quæ naturæ maxime incommoda ſunt, jucunda, & facilia evadunt, ubi affectus interſit. Itaque ſi quis auſteram, ac ſolitariam vitam duxerit ob ſuperbiam, atque ut inter alios eniteſcat, quin ita vivens vim inferat ſibi; hic proprio amori ſatisfacit, quem delere, ac mortificare in Evangelio jubemur. Quod autem amori proprio blanditur, eumque fovet, næ hoc ex chriſtiana ſeveritate proficiſci plane non poteſt, ſed potius ex mœſta, triſtique auſteritate, in qua ingenium, ac temperamentum potiorem, quam virtus, obtinet partem. *Eſſais de Sermons, pro 14. poſt Pentecoſten Dom.*

Devotio eſt interior in ſpiritu, & corde.

Devotio mentis ſimul, & cordis virtus eſt, cum enim ſublimem de Deo conceptum mente per illam imbibimus, ſummum erga eumdem nobis amorem inſpirat. Hæc, S. Bernardus ait, unctio eſt, per quam anima altiſſimas veritates intelligit; lumen eſt, quod mentis tenebras fugat, & a corde triſtitiam expellit; hæc animabus [illegible]

Deo; ardor, quo flagrat, magnus eſt fervor in illius famulatu. Hæ duæ partes veram devotionem conſtituentes duo ſunt effectus, notæque divini Spiritus; cum tenebræ, ac tepiditas in iis, quæ ad pietatem pertinent, ſpiritus ſint vel noſtri, vel Dæmonis. Hinc intellige, utrum tibi metuenda ſit, necne, futuarum virginum pœna, quæ, quia in lampadibus ſuis non ſervaverunt ignem, invenerunt oſtium a ſponſo concluſum; utque tantum hoc malum effugias, adde ſemper fidem charitati. *Idem.*

Devotio nequaquam conſiſtit in ea dulcedine, quam in oratione percipimus, neque in iis lacrymis, ex quibus ſolatium haurimus, ſed in hoc poſita eſt, ut Deo conſtanter famulemur, omniaque munera noſtra rite obeamus. Interiores pœnæ, atque ariditates plerumque ſunt vitæ aridæ, atque deſertæ, per quas Deus ſuos amicos traducit. Ille, qui e Sanctorum numero Devoti nomen per antonomaſiam ſibi comparavit, nonne aliquando ſeipſum putabat velut humum arentem? nonne in ſanctiſſimis etiam Divini cultus exercitationibus tædium, faſtidiumque inveniebat? Hujuſmodi ergo pœnas in mortificationum cauſas debemus convertere, quin extrinſecus gaudium, voluptatemque inquiramus. Opus eſt, ut hoc in ſtatu noſmet voluntarias victimas præbeamus cum JESU CHRISTO morituri, qui in Cruce poſitus extrema deſolatione affectus fuit; nobiſque perſuadere debemus quod, ſi eidem opem tulerimus, ut ſuam bajulet crucem, ipſe quoque nobis opitulabitur, ut noſtram circumferamus. *Idem.*

S. Bernardus.

Contra vituperantes vel contemnentes devotionem.

Atheorum, impiorumque dumtaxat eſt affirmare neminem, niſi qui mente, ac animo caret, devotum eſſe. Vera devotio aliquid adeo magnum eſt, ut illuc pertingere nequeamus, niſi divinus ſpiritus nos ultra naturales vires attollat. Hæc humanæ menti altiſſima quæque aperit myſteria: hæc etiam in corde noſtro generoſum ardorem accendit, quo ad difficillima quæque excitatur. Si virtus hæc mulierum magis eſt propria, quam virorum, ibi vis, atque ſapientia divini ſpiritus magis elucent, qui ſapientiſſimum quemlibet confundit, ac de fortiſſimo quovis victoriam reportat per ea, quæ maxime ſunt imbecillia, & quibus nulla vis, nullum ineſt lumen, niſi quod confert devotio. Sed inter viros etiam Patriarchæ ne, & veteris Legis Prophetæ, novæ autem Apoſtoli, Martyreſque, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini erantne ingenia imbecillia, & mollia corda? *Idem.*

Diſcrimen inter veram fictamque pietatem.

Curas omnes debemus impendere, ut devotionis gratiam tueamur, quæ in dulci pace conſiſtit, & quadam facilitate, qua piis objectis afficimur. Hanc autem pacem eo diligentius ſervare debemus, quo difficilius iterum invenitur, ubi ſemel fuerit amiſſa. Illa nos deſerit, ubi eam neglexerimus, atque tunc diſſipati, infirmique tenemur ad naturæ voluptates confugere. E contra vero illa nos comitante, ſemper fortes erimus, & in bonum proclives. Itaque ubi intelligimus aliquid nobis auferre vim hanc, & hoc divinum auxilium, ſtatim ſumma fide illud evitare, atque a nobis prohibere debemus. *Auctor nuperus.*

Illud ipſum diſcrimen, quod naturam inter, & artem occurrit, inter veram, fictamque pietatem invenitur. Ars quidem circa exteriora tantum verſatur. Vultne ſculptor quidam eximius ſimulacrum elaborare, quod auctori magnam nominis famam comparet? Omnis illius [illegible]

tione operatur. Ab interiori parte ſemper orditur; ſcit enim ex anima quidquid vel bonum, vel malum proficiſci: primum quidem in illud incumbit, ut mentem regat per fidem, humilemque ad omnia Evangelii præcepta docilitatem, ut cor ipſum recta intentione purificet, & caſto, ſinceroque amore ſuccendat. *Ex morali Dictionario 1. Sermone de Devotione.*

Eſto quidem, Fideles, religio veſtra videatur, verum ſimul intrinſecus etiam foveri debet. Eſto, aliquid extrinſecus effundat; ſed primum mentem, & cor ipſum regat, ac ſtatim interiorem partem informet. Virtus, ut perfecta ſit, ædificare debet, Tertullianus ait; ut ædificet, ſeſe debet oſtendere. Sol lucem habet, ut ſe videndum exhibeat; ignis calorem, ut ſe ſentiendum tradat: Religioni quoque ſuum lumen, calorque ſuus debet ineſſe, lumen quidem, ut opera noſtra bona ab hominibus videantur, atque inde Pater cœleſtis glorificetur; calor autem, ut hæc bona opera charitate animata tepidas animas foveant, & ad vitium confundendum, quod impuni ſeſe effert jactantia, virtus mortalium ſibi reverentiam, amoremque conciliet. *Idem.*

Non deſunt homines orationis amantes; habent deſignatas ſuarum precum horas, quam exercitationem nulla umquam re adduci poſſunt, ut intermittant: laude profecto ſunt digni; & hoc Chriſtiani hominis proprium eſt. Verum ſi in publica quapiam dignitate ſint conſtituti, illis dicam, ne precibus vacando abſumatis horas illas, quæ litibus diſcutiendis, iiſque audiendis, qui judicio certant, inſumendæ ſunt: ne prolixis orationibus dies teratis, qui prompte ſancteque juri dicundo ſunt impendendi. Reddite quidem Deo, quod Dei eſt, at ne obliviſcamini reddere Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, ne per negligentiam veſtram, atque in litibus expediendis incuriam familiæ integræ intereant. Hæc quidem iniqua eſſet devotio, & iis, qui litibus torquentur, funeſta. Alios etiam videbimus, qui ſibi religioni vertent, ſi quis non feriatus dies elabatur, quin ſacris interſint. Hoc optimum profecto eſt, atque utinam ita conſueſceret, quicumque commode poteſt; illud vero dolorem adfert, quod cum hac in Dei ſervitio aſſiduitate duri ſunt, atque inclementes in eos, qui pendent ab ipſis. Eorum quidem ædificat pietas, at ſcandalum adfert ſævitia; gaudemus quidem illos frequenter invenientes in Templis, magis vero gauderemus, niſi frequentius invenirentur in foro. *Idem.*

Devotio ætatum omnium eſt, ſtatuum omnium, ſexuum, & conditionum omnium, Sæcularium æque, ac Regularium; nuptarum, ac innuptarum; ſummorum, imorumque; eorum qui ſæcularibus curis omnino expediti ſunt, & eorum, qui vitæ civilis officiis, atque neceſſitatibus occupati ingentes familias trahunt. Gradus quidem varii ſunt, & inæqualia erunt præmia; ſed utrique ſalutem ſuam debent operari, atque æternam conſequi hæreditatem. Utrique poſſunt vere, & conſtanter eſſe devoti, & ſancti: qui ex omni conditione cœleſtem gloriam adepti ſunt, ſatis oſtendunt nullam eſſe, quam pietas ſanctificare non poſſit, & debeat. *Idem Sermone 2. de Devotione.*

Quomodo vivere debeant devoti.

Non omnia cœtuum genera vobis interdicuntur; verum cum devote, ac pie vitam traducere profiteamini, ſuademus, ut illis tantum intereſſe velitis, quibus vel neceſſitas, vel urbanitas jubet; illis, ex quibus pietas, vel charitas veſtra [illegible]

Importune cenſoria nota aliorum vivendi rationem pertingere, & ſibi in vitæ ſuæ ſceleribus parcere; de aliena perfectione ſollicitos, de ſua vero ſecuros eſſe, proximo ſuo curam omnem impendere, ſibi vero nequaquam vacare; loqui tantum de primis Fidelibus, antiquos dumtaxat Canones proferre, ac indeſinenter laxam morum diſciplinam deplorare: hoc devotum eſſe non eſt; nequaquam; neque in nimia ſeveritate vera devotio conſiſtit. *Idem*.

Verus devotorum character.

Simplicem eſſe, receſſus amantem, exilem in oculis ad ſuas quidem infirmitates intuendas apertis, ad alienas vero clauſis, cognoſcere minus, quę ſua ſunt, quam quæ proximi; ſeipſum contemnere, alios vero in pretio habere; omnibus bonum, nulli vero pravum exemplum præbere; famam etiam in bonis operibus fugere, omniaque ad Dei gloriam referre, quæ perfectio eſt! quæ virtus! Hæc tamen virtus erat primorum Fidelium, qui egregia quidem veræ devotionis exemplaria fuerunt. *Idem in conſiderationibus in hoc argumentum*.

Devotio ætatum eſt omnium: plurimi tamen extremam vitæ partem illi volunt impendere. Sæpe tunc ſolum devotioni appellitur animus, cum mundo non poſſumus ultra placere: neque Deo magis placet devotio, quam cum illam amplectimur, quando nos mundus perquirit, & habet in pretio. Non deſunt, qui devotione ſenectutem ſuam ornant, adverſamque fortunam ſolantur: ſunt, qui ſenium præſtolantur, vel aliquam calamitatem, ut ſerio vacent pietati. In primis devotio vel ambitionis eſt, vel neceſſitatis; in poſterioribus inane conſilium eſt devotionis futuræ, & realis contemptus devotionis præſentis. Sed quomodocumque ſit, cum nimis ſero pietati vacamus, vix verum illius ſpiritum aſſequi poſſumus. *Idem*.

Devotio indiſcreta.

Hoc ſpiritu adeo oppoſito ſpiritui J. C. charitatem in alios exercemus, ut quamdam ſocietatis ſpeciem ineamus cum viris, qui præ cæteris fulgent, & a quibus aliquam utilitatem nos percepturos putamus. Geſtimus hac via illorum aucupari gratiam, exiſtimationem nobis conciliare, atque in illis vel honorem noſtrum, vel præſidium invenire, atque ita non minus pauperum negotia gerere, quam noſtra. Saltem ita characterem noſtrum larva quadam contegimus, ac noſmet prorſus alios ab iis, qui ſumus, illis obtrudimus. *Idem*.

Hac indiſcreta devotione, poſtquam proximi exiſtimationem nequiſſimis obtrectationibus diſcerpſimus, honorem illius reſarcimus, ita ut reparatio ſit eadem obtrectatione nocentior. Per hanc, poſtquam aliis opem ferre, cum poteramus, negleximus, de illis benemerendi conſilium inimus, cum id agere, vel nos ipſi non poſſumus, vel ex actione noſtra illi fructum percipere nequeunt. Per hanc in eleemoſynas patrimonia erogamus, cum interim conflatum æs aliorum nequaquam diſſolvimus, in carcerem ſqualore poſitos inviſimus, cum eos, qui arctiori conſanguinitatis vinculo ſunt nobis conjuncti, deſerimus; ultima cera magnam argenti vim in opera pia legamus, cum affectam rem familiarem poſteris relinquimus. Per hanc denique indiſcretam devotionem aliquis erronibus, vagiſque ea tribuit, quibus eorum foveat inertiam; & detrectat ſolatium auferre pauperum egeſtati, quorum vita pia eſt; & aliquis alienæ ſalutis curam gerit, non proſpicit ſuæ. *Idem*.

Devotio ſuperſtitioſa.

Superſtitioſas dico devotiones noſtras, cum aliqua ex actionibus noſtris probatur, cęterę damnantur. Sed heu! nonne hoc quotidie in mundo contingit? Summa officii fide exilia quædam pietatis officia adimplentur, cum interim præcipuæ Chriſtianæ Religionis leges violantur. Tot devoti, qui magnum ſe patraſſe facinus putant, ſi quando ad breve temporis ſpatium aſſuetis precibus deſint, integras videntur horas, ne dies dicam, in iis traſigere cœtibus, ubi paſſim alieno nomini, atque exiſtimationi nebula, ac labes offunditur; Eccleſias ingentibus cumulare donariis, ac pati pauperes interire fame; altaria locupletare, & animam ſuam polluere, ſanctuarium exornare, & creditoribus ſuis conflatum æs non perſolvere; cæremoniis quibuſdam mere exterioribus inhærere, atque cultum divinum intus nequaquam perſpicere; cum juſto frequenter verſari, & juſtitiam negligere. Nonne hoc Phariſæorum, Judæorumque ſcelus eſt, qui ſibi religioni vertebant illotis manducare manibus, cum interim viduam, & pupillos diriperent? *Sermo manuſcr.*

Devotio externa.

In devotionibus veſtris, ne quæratis ſemper inanem religionis fulgorem, ac pietatis apparatum, ac intelligite zelum altius intra vos, quam extra inſculptum eſſe debere. Sed nibil utilius eſt, quam in imo cordis ſui veræ, ſolidæque devotionis principia celare. Tritici granum diu latens humi ſegetes feret; ſemen abditum ſulco copioſam proferet meſſem, neque ab avibus cœli auferetur, ut illud, quod ſecus viam, vel ſuper petram ceciderit. Et profecto cum devotio externa tantum eſt, neque latet in corde, germinare, ac bonum quidquam proferre non poteſt. Quamprimum autem deficit ſimilis gramini, quod ibi ſatum non eſt, ubi radices jacere valeat, & quod, cum terræ ſuperficiei tantum adhæreat, ſtatim exareſcit: *ſicut fœnum tectorum, quod, priuſquam evellatur, exaruit*. Pſ. 128. Ita ſæpe inſignis aliqua pietas, tamquam fœnum tectorum, vireſcens, cum radicibus ſolidis careat, computreſcit, atque in ipſa ſublimitate ſua mortem nanciſcitur: cum verus devotus de virtute in virtutem videatur aſcendere, in ſingulos dies creſcere, ac indeſinenter procedere, donec dies eſt: *Juſtorum ſemita creſcit uſque in perfectum diem*. Prov. 4. contra in eo, qui juſtitiam ſimulat, faſtidium dumtaxat, nauſeam, teporemque deprehendimus. *Idem*.

Devotio phariſaica ſub pietatis ſpecie magna ſcelera tegens.

Humanis rationibus acti ob aliorum oculos reformamur, cum interim cor omni flagitiorum genere coinquinatur. Non deſunt, qui coram mundo fictas prætexunt cauſas, ut callidius ſuas tegant iniquitates. Palam quidem juſti, clam impii viduæ bona impune diripere, ac orphani ſubſtantiam occupare videntur. Simul & ingentia Templo afferunt dona, & fratribus ſuis ingentia auferunt bona. Ad aras cruentis manibus, ac ore injuriis, calumniiſque refertiſſimo accedunt; ad ſummum phariſaico animati zelo ad ſanctuarii pedes procumbunt, ut jactitent ea, quæ non faciunt, & ea, quæ faciunt, abſcondunt. Ita cœcus homo ſepulchrum ſuum extrinſecus dealbare contendit, quod intrinſecus pus, tabumque contineat, atque omnia fictæ ſpeciei deferens religionem ſuam in comœdiam, & aram in theatrum vertit, ubi in ſcenam viciſſim omnes paſſiones prodeunt, atque maxime eſſentiales Chriſtianę Religionis virtutes in jocum traducuntur. *Idem*.

Religio animam recta ad Cœlum, Deumque attollit, cui illius offert poſſeſſionem, atque fruitionem; & quin minima contemnant officia, ea præſertim, quæ magis ſunt neceſſaria, conſectatur. Ficta devotio minuta auget objecta, magna imminuit; ea, quæ majoris momenti ſunt, negligit, & levia perſequitur: majora peccata deglutit, & contra minora ſuccenſet. Hanc conſcientiæ integritatem eſſe putant, atque falluntur; eſt enim ſuperſtitio, ſpiritus abjectio, ac falſum judicium. Judæorum ſacerdotes in Prætorium detrectabant inferre pedem, ne polluerentur, cum interim ſanguinem innocentem effunderent. Nolebat alius in ærarium reponere pecuniam, quam retulit Judas, quia pretium ſanguinis erat, atque audacter clamabat, ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Non audet Herodes jusjurandum infringere, at Joanni Baptiſtæ mortem audet inferre, quaſi juſtitia non omnes nodos abrumperet, quos injuſtitia potuit efficere. *Deſumptum ex Tractatu quodam de Conſcientia*.

Vera devotio peccati odium inſpirat.

Vera devotio graviſſimum peccati odium inſpirat. Mortem ſceleri præfert: Dei gloriam perquirit, quidquid illi nebulam poteſt offundere, dolorem adfert; quidquid eam promovet, fit noſtri amoris objectum; ſed minutis noxis non illum deformitatis gradum appingit, quem ex ſe non habent; & quin eas multiplicet devotiones, quæ ipſam ab officiis ſuis magis eſſentialibus poſſent diſtrahere, licet minuta nequaquam contemnat, ea tamen ferventius conſectatur, quæ ſibi ſalubriora cognoſcit. *Idem*.

Nibil vera devotione ſanctius, auguſtius nihil. Cum hæc prompta, ac ſincera voluntas ſit, qua rapimur ad ea omnia facienda, quę ad cultum, honoremque Deo debitum ſpectant, fovet ardorem charitatis, quę purificat cor, & pietatis, quæ illud ſanctificat; virtutes colit, & nihil contemnit, quo ad Deum poſſit attolli, nihil in corde relinquit, quod creaturis adhæreat, ac Deo uni vult adhærere, veritatem cum veri ſimilitudine non confundit, non fervorem cum imprudentia, non lenitatem cum aſſentatione. Vere devotus J. C. adorat ſpiritu, & veritate; cultus, quem illi tribuit, ex eminenti pietate proficiſcitur; adoratio illius ſincera eſt, atque intentio pura. Non rapit illum cupiditas, non cohibet illum conſuetudo, non verecundia efficere poteſt, ut ſui officii fines tranſiliat, & cenſura, licet improba ſit, numquam ruborem injicit illi, eo quod Deo ſuo famulatur. Et

Et fervorem habet, ut quod debet adimpleat, & conſtantiam, ut illius pondus ſuſtineat. Enitet in verbis ejus ſimplicitas, pietas in actionibus, ac puritas in deſideriis. Bonum citra jactantiam operatur; lenis eſt ſine affectatione, humilis ſine abjectione; gravia quælibet miniſteria obit ſine querela; & ſine acerbitate aliena vitia redarguit. Verbo, & corde, & labiis devotus eſt; pietas in factis potius, quam verbis ejus elucet. *Ex Manuſc. Serm.*

Vera devotio non eſt agreſtis.

Credendum non eſt devotum, de quo loquimur, hominem externum oris habitum rudem, auſterumque habere, ita ut illius ſocietas timenda ſit; morum auſteritas nihil aufert urbanitati; & pœnitentię opera ſine Phariſæorum triſtitia ſcit exercere. Cum bonæ conſcientię gaudium in corde illius vigeat, ſeſe in faciem effundit; omnia admittit temperamenta, quæ officium ſuum pro aliorum infirmitate poteſt permittere. Viam ſalutis neque latiorem efficit, neque arctiorem; neque ſemper eas ſibi interdicit voluptates, quę innocuę ſunt, quin illas tamen conſectetur; iiſque mediocriter, tamquam honeſtis laborum ſuorum remiſſionibus, utitur. *In Collectione orationum Gallicæ Academiæ oblatarum anno 1703.*

Illud vero funeſtiſſimum eſt, quod hæ miſeræ devotionis chimeræ non faciunt, quod debent, & nihilo ſecius ultra ea, quæ poſſunt, facere aggrediuntur. Aggrediuntur quidem opera ſupererogationis, & ea, ad quæ tenentur, non explent; vellent Eccleſiam reformare, illæ vero majori indigent reformatione; ſeveræ in proximum ſuum, ſimul vero in ſe ipſas molles, ac blandæ. Sed antequam magna aggrediamur, a minimis incipiendum eſt; ut adeo auguſtum ſuperſtruatur ædificium, moderatio, juſtitia, fides, aliæque virtutes pro fundamento ſunt ſubſternendæ: alioquin cultus, qui Deo tribuitur, inane eſt Religionis phantaſma, immo etiam proximis fit ſcandalum Religionis. *Ex Sermone ſub P. Bourdaloue nomine typis edito*.

Vir bonus, & vere devotus ſincero Dei amore flagrat, & in perficiendis mandatis illius ſumma voluptate perfungitur. Magnæ virtutes prima ſunt votorum ejus objecta; deinde vero minus neceſſaria perſequitur. In ſeipſum ſeverus, lenis in alios, nihil habet, quod proximum offendat, avertatque: illum æquo animo ſemper admittit, peccatorem numquam repellit; ſcit enim ſe illi virtus amorem infundere poſſe, eumque ad frugem revocare. Ignorat omnia hæc carnis, & ſanguinis artificia; novit ſolum eum, qui Deum ſuum diligit, diligere, & proximum, eique toties parcere, quoties afficitur contumelia. Quæcumque ad ſalutem pertinent, ſine fuco, & affectatione perſpicit, humanis laudibus, plauſibuſque non præbet aures; gloriam, quæ ex morum ſanctitate fluere poteſt, tamquam periculoſiſſimum laqueum, vel ſemen tentationis conſiderat, quod ipſam ſanctitatem, quin alat & foveat, deterit, atque extinguit. Suam ſentit infirmitatem, ſimulac virtus, pietaſque augetur, ideo gemit, & cor attollit ad Deum illius miſericordiam; & gratiam impetraturus. Super homines, a quibus celebratur, Deum videt, cui uni ſuos labores conſecrat. Conſtans in officio, numquam ab illo recedit: pietatem amat, & quærit, nec non virtutes ſuas ad ſummum perfectionis apicem ſtudet provehere. *Ex tractatu quodam de Conſcientia*.

Falſa devotio.

Cum devotio reſpiciat Religionis officia, ſæpe illi exterior quædam ſufficit exercitatio. Phariſæi admirationem ſibi conciliabant auſtera Sabbathi obſervantia, ac J. C. redarguebant, quaſi diem illum cum Diſcipulis ſuis prophanaret. Hæc legis obſervantia nequaquam beatiores efficiebat Phariſæos, quandoquidem Publicani, ac Meretrices illos in regno Dei præcedebant. Docet experientia neminem illis eſſe nequiorem, quorum exterior legi obedientia pietatem, ac Religionem omnem conſtituit. At non fallitur Deus, neque ſimilis eſt Iſaac accipientis Jacob pro Eſau, atque ex veſtimentis, exteriorique habitu judicantis. Deus imum cor intuetur, & quidquid ibi fiat, ſcrutatur; eos tantum pro filiis, atque hæredibus agnoſcit, qui ipſius imaginem referunt; cumque Dei imago in ſancta cordis diſpoſitione conſiſtat, qui ſolam devotionis ſpeciem, atque lineamenta præſeferunt, ſimiles ſunt mortuis, ſenſuque carentibus ſimulacris, qui vitæ umbram habeat, & corpus ſine anima. *Idem*.

Nullo habentur in pretio perfunctorii illi devotionis ſenſus, quos afflictio aliqua, vel domeſticæ rei jactura, vel jejunii, aut communionis circumſtantia quædam producit. Quemadmodum enim metalla igni admota liqueſcunt, amota vero ad priſtinam redeunt duritiem, ſæpe cor mollitur & oculi ſolvuntur in lacrymas, cum percutit Deus; ſed ubi divina deferbuit ira, revertimur ad ingenium, quemadmodum Jordanis aquæ montis inſtar acervabantur, Arca tranſeunte, ſed mox iterum fluere incœperunt. Naturalis corruptio vel inhibetur, vel propulſatur, cum Deus adeſt per verbum ſuum, & Sacramenta, ſed eadem pernicitate fertur, ſtatim ac deſiit devotio. Mente quidem elevantur in Cœlo, Dei colloquio fruuntur, ac ſuperfunduntur dulcedine, qua cor ipſum rumpitur; videntur naturalem conditionem excedere, in cœlum elati, & proximi Deo; attamen nullus ſtatus eſt, ubi frequentiores ſint illuſiones; in hujuſmodi motibus potiorem ſibi vindicat partem imaginatio, quam cor: amor proprius potius, quam vera pietas alloquitur Deum. *Idem*.

In devotione ſingularitas eſt evitanda.

Inter Chriſtianos, præcipue vero inter eos, qui devoti dicuntur, non deſunt ſpiritus quidam omnino ſingulares in actionibus ſuis, atque in vivendi ratione ita abnormes, ut ab omnibus ferme communibus regulis abhorreant, & quaſdam ſolum particulares devotiones conſectentur, quæ illorum palpant vanitatem, potiuſquam ſatisfaciant pietati. Communia negligunt, quia non habentur in pretio, iis vero ſolum inhærent, quæ præter ordinem ſunt; hæc enim ſola ipſis arrident. Ipſorum vivendi ratione omnia ſingularia ſunt; eſca, indumentum, ſermo, preces, omniaque exercitia; & ſi jejunant, tunc accidit, cum non jejunat Eccleſia. Denique in omnibus bonis operibus ſuis tempus, locum, occaſionem, & modum captant, quibus ab aliis facile diſtinguantur. *De la Volpilliere. Sermone de Hypocriſi.*

Nihil odioſius eſt ſimulata pietate, & indignatio, quæ in fictitiam virtutem iſtam concipitur, ſæpe etiam in veram ſe effundit. Fere numquam pati poſſumus hominem vere pium; ſexcenti enim adſunt falſi devoti, qui præſtantiſſima qualitate hac abutuntur, eamque omni mundo pœne intolerabilem faciunt. Statim ac nobis occurrit homo extrinſecus pietati vacans, nobis rem eſſe putamus cum homine ſæviſſimo, inhumaniſſimo, atque injuſtiſſimo; quia inter eos, qui virtutem hanc profitentur, inveniuntur quidem omni prorſus lenitate, humanitate, atque juſtitia carentes. Quam labem offundunt devotioni, hac ita per ſummam indignitatem abutentes? Quos ſenſus aliis infundunt? Quam ipſi de eadem concipiunt ideam? Numquid devotus eſſe quis poteſt, quin ſimul & miſericors, & juſtus ſit? Numquid propter Deum zelo flagrare poteſt, niſi & propter proximum flagret? Et poteſt arbitrari, ſe primum chriſtianæ virtutis attigiſſe gradum, niſi prius ſeipſum exuerit, neque amplius nimis ſuam quæſiverit utilitatem? *Idem*.

Scopuli in devotione metuendi.

Si ſapientis alicujus ducis conſilium, atque documenta ſequeremur, non viderentur ſane devotiones aliis odioſæ, conſanguineis moleſtæ, proximo injuſtæ, qui contra devotum illum obmurmurat in pietatis oſtentationem, ſpecioſamque charitatem erogantem ea, quæ juſtitiæ tribuenda eſſent, conflatum æs alienum diſſolvendo; non viderentur tot avaræ, inhumanæque pietatis victimæ in iis gementes conditionibus, in quas invitæ conjectæ fuerunt ſub inani ſpecie eas Deo devovendi: cum devotione non aſſumeretur cenſorius animus de omnibus judicium ferens, atque in omnibus indignans. Spiritus amarus, charitatem vocans quod bilis, & odii plenum eſt, & nihil probans eorum, quæ ab aliis fiunt, ſuarum idololatra eſt cogitationum. Non videretur libido, & furor hic, qui in familiis ſimultates, atque odia gignunt, ſanctaſque extinguunt amicitias, quas Chriſtiana indulgentia alere poterat. *Idem*.

In eo potiſſimum vera, ac falſa devotio diſcrepat, quod vera ordinem ſequitur, ea conſectatur, quæ ſunt eſſentialia, atque neceſſitatis; falſa vero ſpeciem tantummodo quærit: e. g. ſedulam navare operam, ut filii erudiantur ſui, invigilare, utrum familia Eccleſiæ præceptis obtemperet, ſumma fide, ac promptitudine æs alienum diſſolvere, opificum mercedem non diu retinere, hæc omnia quidem ſatis ſpecioſa non ſunt, ſed ſunt neceſſaria. Duarum, triumve horarum ſpatium in Templo orationi vacare, eleemoſynis colligendis operam dare, omnibus piis civitatis operibus intereſſe, hoc pulchrum eſt, ſpecioſum eſt, omniumque ſibi conciliat admirationem; at neceſſarium non eſt. Ita cum video ſpecioſa facta cum ardore exquiri, ea vero, quæ præcepti ſunt, negligi, ſtatim intelligo in hac de-

devotione ordinem prætermitti, ac jure illi fidem nequaquam adhibeo. Non deſunt frequentiores pietatis actus minus quidem ſpecioſi, at Deo magis accepti. Quod uxor e. g. patienter ferat iniquum viri ſui ingenium, eumque ſuo amore deliniat, hoc nequidem valde ſpecioſum non eſt, ſed ſolidum; neque ulla vanitatis, & hypocriſis ſuſpicio ſubeſt. Hoc primum in devotione requiritur, ordo videlicet. Quod neceſſarium eſt, quantumvis abjectum, ſemper illi anteferendum, quod eſt ſupererogationis, quantumvis ſpecioſum ſit. *Ex alio manuſcripto ſermone.*

Fideli viro numquam metuendum eſt, ne tamquam hypocrita habeatur; facili enim negotio hæc reprehenſio evitatur, cum facile ſit ſervire Deo, ita ut mortales rectam intentionem noſtram intelligant, videantque pietatem cum ſinceritate conjunctam. Licet enim externa ſpecies fallere poſſit, & non ita facile negotium ſit veram a ficta devotione dignoſcere, vera tamen quædam habet lineamenta ſatis nitentia, quibus ſe cognoſcendam tradit, ubi ſeſe proferre cupiat. Lumen eſt, S. Auguſtinus inquit, quod omnia detegens, ſeipſum quoque oſtendit; Dei exemplar eſt, quod Dæmon numquam poteſt ſimulare. Fateor quidem ſanctitati æquivocos eſſe characteres; ſed affirmo, non deeſſe quoſdam eidem omnino proprios; humilitatem e. g. ſine affectatione, ſpiritum ab omni avaritiæ ſpecie alienum, agendi rationem ſemper ſibi in virtutis exercitatione conſtantem: hæc ſunt citra hominum cenſuram poſita. *Ex ſermone P. Bourdaloue de Devotione.*

Illuſiones quæ in devotione occurrunt.

Interioris virtutis defectus numquam minus periculoſus eſt, quam externus corporis habitus incompoſitus, quod quidem grave malum eſt, & cum majori ſcandalo conjunctum; vulnera, quæ infert ille, nihilo ſunt minus funeſta, licet minus ſentiantur. Illud oculorum malum eſt, interior animæ morbus; hunc nobiſcum gerimus, quin intelligamus; & ideo incurabilis eſt, quia a mortalibus non cognoſcitur, & ſæpe illis placet, quibus diſplicere deberet. Hoc malum in Religionibus etiam auſteriſſimis invenitur, quæ jejunia ſervant, aliaſque corporis afflictationes, ſed quæ interiorem pietatem, & cordis reformationem contemnunt. SS. ſpiritus, atque ſimplicitas relinquitur, & ſufficit ædificatio quædam, quæ populo tribuitur, necnon diſcrimen illud, quod inter ſtatum ipſorum, & aliorum, qui flagitioſam vitam ducunt, invenitur. Attamen licet religio ſancta ſit, niſi vero animetur ſpiritu, qui quidem SS. ſpiritus eſt, niſi hic motus omnes, exercitationes, omnemque vitæ rationem informet, tantum abeſt, ut ſit, quod eſſe deberet, quod immo nihil eſt aliud, niſi larva, & illuſio. *Abbas Trappenſis lib. 2. de Officiis Monaſticis.*

Devotio ex fructibus, quos adfert, cognoſcitur, non autem in æterna vita, ſed in hac. Omnibus civitatis bonis operibus intereſſe ſtudent, ſanctos cœtus magno cum vulgi rumore colligunt, hortantur, prædicant, agunt, omnia miſcent; verbo Religionis zelum præſeferunt, aliquam percipiunt utilitatem. Ex quo autem hæc ſpes evaneſcit, & ea, quæ bene fiunt, Deus unus agnoſcit, neque ea proſpectat oculus, quo animabantur, neque præſens ulla merces recipitur, obmurmurant, fatigantur, recedunt, & nonnumquam ad turpem etiam pœnitentiam deveniunt. *P. Cheminais, Sermo de Nativitate.*

Quid cogitandum de devotione, quam facilem quidem efficere ſuadent.

Neſcio quid ſibi velint, qui, ut ſeſe accommodent mundo, facilem devotionem proponunt. Mihi videtur devotio ſine virtutibus eſſe non poſſe, & cum virtutes ſupra naturam aſſurgant, praxis earum facilis eſſe non poſſe. Ipſe etiam Dei Filius inquit: *Contendite intrare per anguſtam portam.* Itaque velle invenire devotionem in eo vivendi genere, quod naturalium ſtudiorum propenſionem ſequitur, hoc profecto nequit intelligi. Per ampla oſtia facilis aditus patet, non autem per munitarum arcium januas. Cum de pietate agitur, nihil laxius afferendum eſt; nihil excogitari poteſt, quod nobiſcum diſpenſare poſſit ne nobis moriamur; at nobiſmetipſis mori non aliud eſt, quam obluctari iis ſtudiis, quibus voluptates, cœtus, ludos, choreas, theatra, deambulationes, ornatuſque vanitati dumtaxat inſervientes conſectamur. In SS. Patrum ſcriptis nullam nanciſcimur methodum, qua devotio cum mundi ſpiritu valeat conciliari. Docent potius, qua ratione huic ſit obluctandum, & naturalibus ſtudiis obnitendum tunc etiam, cum innocua nobis videntur. *In Dialogis Spiritualibus P. Surin c. 1. c. ult.*

Non parum diſtat ad examen vocare, utrum aliquid ſit lethale peccatum necne, an utrum cum devotione ſimul eſſe queat. Devotio delicatus eſt virtutum fructus, rerum divinarum guſtus, dulcis JESU CHRISTI memoria, myſteriorum illius repræſentatio. Numquid hæc viſa ſunt unquam in iis, qui luxum, comeſſationes, mollem vitam, mundum depereunt? Ut guſtemus orationem, Dei verbum, communionem, cordis noſtri curæ invigilandum eſt, hoc claudendum, & mens colligenda. Hoc in mundana vita difficillimum eſt; quomodo igitur facilis ibi poterit eſſe devotio? Non dixerim tamen, nullas eſſe voluptates, quæ culpa carere poſſint. Videri aliquod ſpectaculum poteſt, ubi nihil inhoneſtum, nihil nefarium ſit; audiri poteſt muſicarum vocum, fidiumque concentus, adeſſe convivio, ubi temperantiæ leges ſerventur: quod ſi raro fiat, cum devotione ſimul eſſe poſſe negare non auſim. At ſi hæc in conſuetudinem abeant, ſi magna temporis pars in his tranſigatur, ſi cor hujuſmodi voluptatibus expleatur, & nihilominus devotionem ſervari poſſe quis putet, haud ita facile illius ſententiæ ſubſcripſerim. *Idem.*

Quomodo & quo in ſenſu dici poſſit devotio facilis eſſe.

Nonniſi eo in ſenſu, in quo Propheta dixit, dici poteſt: *Dicite Juſto, quoniam bene.* Profecto qui virtuti, ac devotioni ſe mancipant, majori lætitia perfunduntur, quam mundi ſectatores in voluptatibus ſuis; ex quo enim anima pietatem amplecti decrevit, Deus illam tot auxiliis, & benedictionibus cumulat, ut tandem aſſecuta finem, ad quem contendebat, ſibi ſemper bene fuiſſe ſit affirmatura; atque hoc in ſenſu devotio eidem facilis extitit. Non diffitebitur illa, ſibi ardua ineunda fuiſſe itinera, atque per arida deſerta contendendum, prælia & propulſanda, & inferenda, ſibimet vim faciendam, multaque perferenda fuiſſe; at gratia labores, pænaſque ita temperavit, ut ſi eas cum conſolationibus ſuis æqua lance ponderare velit, quidquid fecit, quidquid paſſa eſt, velut nihilum putet. Tunc vero præſertim cum conſtanter ſeipſam vincere perſtitit, & naturæ eas voluptates reſpuere, quas cupit, tanta ad virtutem exercendam facilitas acquiritur, & in veri boni perfruitione pax tanta percipitur, ut tamquam in ſuo centro quieſcat. Hoc eſt commune illud ſtadium, per quod fideles, conſtanteſque animas adducit Deus. Tunc illis devotio vere facilis eſt, quoniam auſteritates illis ſuaviores ſunt, quam voluptates, quibus in mundanæ vitæ curriculo perfruebantur, amore divino illud adferente ſolatium, quod nulla unquam affectio humana illis potuit conferre. *Idem.*

Operæ pretium eſt vos admonere, Fideles ſocii, de devotione minime judicandum eſſe ex illis ſimulationibus, quæ in eorum vita inveniuntur, qui larvam, nomenque pietatis tantummodo geſtant, qui actionibus ſuis eidem abrogant fidem, eamque in ſuſpicionem accerſunt apud illos, qui de eadem judicantes ſolum juxta ea, quæ in ipſorum vita intuiti ſunt, nonniſi falſum de ipſa conceptum animo inhibere potuerunt. Vera devotio virtus eſt ſanctiſſima; vel melius dicam, omnis ſanctitatis initium eſt & Chriſtiano adeo neceſſaria, ut ſine illa non diu perfungi poſſit eſſentialibus Religionis officiis, iiſque parere præceptis, quæ ſtudiis noſtris oppoſita ſunt; nequit enim, moraliter loquendo, iis omnibus, quæ illa imponit, defungi muneribus, niſi quid ea leniat, nobiſque efficiat jucunda, quod præſtat devotio. *Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, in Adventu.*

Inordinata devotio.

Devotio inordinata eſt, quando ſtatui noſtro non eſt conformis. Talis eſt illius, qui Magiſtratum obtinens muneris ſui contemnit officia, ac prolixas preces effundens, quas Deus non petit, ea diu producit negotia, quæ expedire tenetur: talis etiam mulieris, quæ ſub devotionis prætextu plures horas in Templo traducit, interim eſſentialia ſtatus ſui munera negligens, & filiorum educationem, & quid domi agatur contemnens. Nihil hoc malo vulgatius eſt. Quæritur, non quid deceat, ſed quid placeat; volumus Chriſtianos eſſe non autem juxta immutabiles Religionis regulas, ſed pro ingenii noſtri libidine. Quibuſdam inhæremus officiis non ſecundum Evangelii conſilia, ſed ſecundum varios affectuum noſtrorum impulſus. *Flechier.*

De ſingularitate devotionis.

Meminerimus non minus periculoſum eſſe hominum oculos, atque exiſtimationem in ſe convertere exteriori vitæ auſteritate, atque nimis abjecta indumentorum ſpecie, quam illis inferre ſcandalum iis actionibus, quæ ſæculi ſpiritum nimis redo-

doleant; in mundi commercio nullam ſequi tutiorem poſſe viam, quam ſimplicitatem æque, & a Phariſaica auſteritate ſuperbiam alente, & a mundana affectatione vanitatem inſpirante, abhorrentem. Si ad auſterius, & mortificatius vivendi genus vocamur, inter clauſtra, & Cœnobia confugiamus. *Abbas du Jarry. Paneg. S. Antonii.*

Vera, & falſa devotio ex corde putanda eſt.

Quid eſt vera devotio? Flamma eſt ex divina Charitate, viva, ſinceraque fide proveniens; eſt Deum colere corde, antequam regnet in labiis. Criſtianus vocatur *Cordis homo.* Dicitur in Scripturis *Dei regnum intra nos eſſe*, hoc eſt nonniſi corde noſmet eodem dignos efficere poſſe. Hoc nobis aperire debet varios mere exterioris devotionis defectus, atque oſtendere, niſi illa in id primum incumbat, ut in nobis ſinceritatis viſcera informet, efficiatque cor, ex quo ea omnia procedant, quæ extrinſecus patent, devotionem ſemper inanem, ſimulatamque futuram. Qui vere devotus eſt inde incipiens, ubi natura deſinit, operi ſuo modeſtos, & caſtos oculos, pavidam, & ad reverentiam compoſitam frontem, juſtas, innocuaſque manus, verecundum, prudentemque inceſſum ſtudet effingere; ſed hæc omnia eſſent inutilia, niſi cor primum omnibus hiſce qualitatibus præditum affulgeret. Quia religioſus hypocrita ſpecioſum hunc corporis habitum ubique præſefert, & non ſecus, ac vere devotus, in omnibus ſenſibus ſuis exteriorem modeſtiam refert; religioſus in verbis, religioſus in veſtibus, religioſus in omnibus præterquam in corde, ubi inter tot egregias ſpecies fovet invidiam æque periculoſam, obtrectandi libidinem æque improbam, ulciſcendi cupiditatem æque ſævam, deſideria æque iniqua, ac ſi in nulla actionum ſuarum eſſet religioſus. *Ex manuſcripto ſermone.*

Quilibet ſeipſum diligenti examine inſpiciat, videatque, utrum ſit ex numero eorum, qui hypocritæ ſunt. Donec parum attente ea facimus, quæ Dei ſunt, ſane metuendum eſt, nobis devotionem eſſe mere apparentem, & cor noſtrum latere poſt lutulentum parietem, politica ratione quapiam, vel humano reſpectu dealbatum. Hic locus eſt, ubi damnationem noſtram invenimus, ſi hujus viæ ſumus. Væ vobis, inquit Dei Filius, qui erogatis eleemoſynas, poſtquam manus, arcaſque veſtras furtis, raptoque repleſtis, extrinſecus quidem ſinceri, intus vero Phariſæi. Cur cordis penetralia non pervaditis, ut inde ea depromatis lineamenta, quę extrinſecus eniteſcere vultis? inde enim homo bonum, malumque educit. Ibi Deus gratiæ ſuæ theſaurum occulit; inde omnis iniquitatis cumulus procedit. Illinc adulteria, falſa teſtimonia, injuſtitiæ, calumniæ, impura deſideria, intemperantia, odium, amor proprius; illic ſuperbia ſedem conſtituit, poſtquam in ſpiritu adolevit: *De corde exeunt &c.* Cor igitur emundandum eſt, ut ibi cor inhabitet; alioquin nulla eſt vera devotio. Dicamus denique, Deum, qui corda ſcrutatur, & penitiores illius latebras videt, nihil ibi invenire debere, quod externis repugnet actionibus; & hoc ibi profecto videt, utrum Chriſtianus ſit fidelis legum ſuarum obſervator, an prævaricator earum, utrum veram habeat pietatem, an falſam devotionem.

Devotio mollis ſeſe accommodat.

Inter eos, qui Mundum ſectantur, mollis quædam adeſt devotio, ac ſeſe accommodans, quæ magna eſt illuſio amorem proprium palpans, & fovens. Etenim amor proprius non ſolum efficit, ut noſmetipſos amemus, ſed ut ab aliis etiam amari velimus. Deo quidem placere cupimus, at hominibus diſplicere nollemus; & huic innixi principio veram pietatem neque tetram, nequæ ſævam eſſe, virtutis lenimentum uſque adſervilem aſſentationem traducimus; eamque omnibus amabilem reddere conantes illam humano reſpectui mancipamus. Majori ſtudio cavemus, ne quid in noſtra devotione ſit, quod imperfectioribus crucem figat, quam ut ea faciamus, quæ animas juſtas ædificent. Omnia communia pietatis exercitia, ſolertia, bona deſideria, omnia cedunt timori, ne minus devoti vel odioſi vel incommodi ſimus. Hæc non eſt chriſtiana ſuavitas, non eſt vel charitatis, vel rationis officium: ſervitus eſt atque timiditas. Virtutem humaniorem efficere contendentes eam prorſus naturalem efficimus; & generalis approbatio, qua devotio adeo facilis, atque accommodans commendatur, mirum in modum in ignavis animabus mollem quamdam ſpeciem devotionis enutrit. Vera pietas neque aſpera eſt, neque inurbana; honeſta eſt, officioſa, atque decor ſtudioſa; at abjectiones, politicas rationes, humanos reſpectus ignorat. *P. Croiſet inſpiritualibus Conſiderationibus Tomo 1.*

Occurunt nonnumquam homines inter eos, qui ſanctiorem vitæ rationem profitentur, qui, eo quod interiorem ſpiritum contempſerunt, qui veræ devotionis quodammodo anima eſt, & quod ſecreta quadam mollitie ſe vinci paſſi ſunt, inane tantum habent virtutis phantaſma. Propriis cupiditatibus traditi id ſolum volunt, quod ſibi placet, neque faciunt, niſi quod optant; ſui ipſius exiſtimatione tumidi non verentur eos affectus quos alunt. Falſa illis ſoporem immittit ſecuritas; atque inani tantum virtutis aura elati virtutem ipſam negligunt. Si ſtatus ſui ratione proximorum ſaluti tenentur proſpicere, hoc nonniſi cum odioſo diſcrimine præſtant; quaſi animæ, ad quorum ſalutem adlaborant, non eodem fuiſſent pretio redemptæ. Semper amore proprio zelus eorum dirigitur, neque ullum ex bonis operibus guſtum percipiunt, niſi hæc ipſi elegerint: ibique Dei gloriam ſemper inveniri putant, ubi invenitur ſua. Ubi de honore agitur, ad ſuperſtitionem uſque delicati minima quælibet urbanitatis officia ſumma religione ſervanda putant, quorum qui aliquod neglexerit, graviſſimum facinus patraſſe arbitrantur; & hac in re mens nihilo facilius, quam cor, errorem agnoſcit. Raro ex iis morbis convaleſcimus, quos amor proprius fovet, & virtus aliqua probat. *Idem.*

Devotio conſuetudinis.

Adeſt etiam devotio quædam urbanitatis, ex qua nullus Religioni cedit honor. Hic mos eſt, & conſuetudo, quam ſequi oportet, & quam vulgo ſequimur. Greſſum facimus: modeſtia, receſſus, oratio loci ſunt communes, quos negligi nefas putatur. Quid enim diceretur de muliere, aut virgine, quæ choreis ſpectaculiſque iter faceret triduo, vel quatriduo poſt viri, vel patris obitum? Tunc magis templum decet, quam alea, atque ſolatium: tunc pietatis exercitia, ac opera bona opportuna ſunt: Deo datur, quod dari Mundus ipſe probat. At non diu producitur actus; cor quamprimum reparare ſtudet dolorem, quem pertulit, & una cum luctu ipſa etiam urbanitatis devotio terminatur. *Idem.*

Pietatem profiteri volumus; tandem enim minime ignoramus, Chriſtianum pietate carentem eſſe phantaſma Chriſtiani: verum hæc pietas erit ſtatis anni diebus præfixa, quæ temporanea devotio, vel devotionis intervallum vocari poteſt. Solemnis aliqua feſtivitas fidem excitat; profana removentur ſolatia; ad aras acceditur; ſed heu! pietas deſinit cum feſtivitate. Nobilis illa Matrona uno tantum die devota eſt: voluptatum ſtadium non relictum, ſed intermiſſum eſt; non diuturnum fuit intervallum; poſtridie ejus diei, quo ſe ſacra Synaxi refecit, iterum ad ludos, choreas, deambulationes revertitur; neque ſeſe confitens diuturnæ ſubjici voluit reformationi. Ad eumdem redit luxum, iiſdem ſeſe objicit periculis, in voluptuarios cœtus, & ad ſpectacula, a quibus, nonniſi ut mundo quamdam devotionis ſcenam exhiberet, abfuerat, ſtatim revertitur. Huc omnis plurimorum pietas redigitur, qui in mundo ſe Chriſtianos eſſe profitentur, quod nonnumquam mundana ſolatia intermittunt; quaſi Deus, quem colimus, per intervalla tantummodo amandus eſſet, atque colendus. *Idem.*

Devoti aſperi, & inurbani.

Aufer aſperos, inurbanoſque devotos, quibus nulla vel erga Deum, vel erga homines ſuavitas & humanitas eſt. Apage devotiones ſpirituum fortium; ſpeculationis, ratiocinationum, magnorum verborum, ac impeditiſſimorum myſteriorum, ſublimiumque conceptuum, quibus nihil affectu plenum, nihil tenerum, nihil ſenſibile. Homines hujuſmodi, ut plurimum, ſunt in propriis ſententiis pertinaces, ſuam dumtaxat libidinem ſequentes, iis omnibus adverſantes, quæ ab eorum ſenſu abhorrent, ideoque aptiores ad alios deterrendos a devotione, quam ad eamdem alliciendos. Illi aſperitate ſua derogant fidem; vulgo enim, licet injuſte, devoti omnes illis ſimiles eſſe putantur, & devotio illos incomptos, inurbanos, inofficioſos efficere exiſtimatur. *Nuperus Auctor.*

Chriſtiani, qui Deo voſmet penitus devovere cogitatis, ac devotionem amplecti ſimul, etiam cogitate plures contradictiones vobis eſſe perferendas. Non deerunt viri boni, qui falſo zelo correpti, vel præoccupati, neque ſatis devotionem veſtram agnoſcentes, vobis adverſabuntur. Non deerunt improbi, qui vos in ludibrium traducent, & tamquam ignavos ſpiritus arguent. Non deerunt etiam nequiores, qui in vos ipſos inſurgent, & conſilia veſtra penitus evertere conabuntur. Quid vos autem inter tot oppugnantes? quid fiet veſtra de-

devotio? Eſtote conſtantes: contra omnes conatus, & contradictiones obſiſtite. Si vera, ac ſolida vobis virtus erit, de calumnia triumphum refereetis; & qui majori feruntur impetu, ut vobis obluctentur, ac vos pertinacius irrideant, hi primi omnium virtutem veſtram admirabuntur, quæ omnes obtrectantium ſermones, omneſque impiorum irriſiones ſuperaverit. Quamtumvis injuſtus ſit Mundus, facere nequit tamen, quominus aliquando veram pietatem celebret, & admiretur, quod imitari detrectat. *Auctor Anonymus*.

Qui errores in hoc devotionis argumento oppoſiti.

Duplex errorum genus devotionem fere contemptibilem efficiunt. Alii eam auſteriſſimam, atque inhumanam fere volunt; alii eam urbaniſſimam, atque ſeſe accommodantem requirunt. Illi eam efferam, deſerta, tenebraſque conſectantem, ſocietatis, omniſque lætitiæ inimicam ſibi fingunt: hi delicatam, teneramque exhibent, quæ nihil ex voluptatibus ſuis, vel recto jucundarum ſocietatum ordine patitur minui. Apud illos phantaſma, & terriculamentum eſt; adeo macie, & ſqualore confecta eſt; apud hos, fucata eſt pulcritudo; adeo indulgens, & commoda eſt. Illi in adeo ſublimi regione iſtam conſtituunt, ut infirmi ſe illuc aſſequi poſſe deſperent; hi vero in adeo humili ſitu collocant, ut tepidus quilibet ad illam valeat accedere. *Deſumptum ex Dictionario Morali*.

Huic Devoti nomini fides in mundo ita abrogata eſt, ut vix ferendum videatur. Nemo eſt, qui vir bonus, honeſtuſque haberi non cupiat; ſed devoti famam quiſque detrectat; & plerique ſi hoc appellentur nomine, injuriam ſibi inferri arbitrantur. Unde hoc? niſi quod falſo Mundo perſuaſum eſt, in hoc Devoti nomine nonnihil contemptibile adeſſe, propter quod eos pudet, qui eodem indignantur. Ventum jam eſt ad Tertulliani tempora, in Apologetico ſuo conquerentis, quod Idololatræ tantum Chriſtiani nominis horrorem conceperant, ut quaſi certi eſſent in auguſto hoc nomine quodlibet ſceleris genus contineri, ſatis eſſet probare aliquem eodem appellari, ut ſtatim ſæviſſimis ſuppliciis adjudicaretur. Nequaquam cenſebant, de patratis ab illo criminibus cognoſcendum; immo Trajanus Cæſar edicto prohibuit, ne contra Chriſtianos quæſtio ulla haberetur. Satis erat, ſi hoc ſe vocari nomine confiterentur; & ſi obtineri potuiſſet, ut ſe Chriſtianos eſſe negarent, jam judicio abſoluti abire permittebantur. Igitur nomen tota illorum erat noxa: *Solius nominis crimen eſt: quis nominum reatus?* Quænam judicii forma hæccine eſt, Tertullianus interrogat, ſi præter nomen nihil in me ſceleris eſt? Cujus quæſo criminis redargui nomina poſſunt, ut extremo ſupplicio afficiantur? Cognoſcite, quid egerim; quærite ſcelera, quorum nocens ſum, eaque punite; ſed nomini, quod innocens eſt, ignoſcite. Æquone animo ferendum eſt, quod Chriſtiani hodierna die eodem in diſcrimine devoti nomen habeant, ac olim Ethnici Chriſtiani nomen habebant? Exagitantur devoti non propter ſcelera, quæ committunt, ſed propter nomen, quod illis tribuitur. Innocentes eſſent, niſi devoti appellarentur. *P. d'Argentau ex Capuccinorum familia. De B. Virginis magnalibus collatione vigeſima tertia*.

Falſa criminatio contra devotos.

At enim in ævi hujus Devotis nihil niſi hypocriſis, improbitas, ac prava fides videtur; at quiſnam exploratum, compertumque habere poteſt myſterium criminum, ac diſſimulationum eorumdem? Quinam horror! quænam abominationes! Verum ad hæc non ſatis attenditis: illi, de quibus loquimini, non ſunt devoti, ſed impii. Scio quidem non deeſſe in mundo plurimos pſeudo-devotos; ſed pſeudo-devotus devotus non eſt. Non loquor de iis qui devotos eſſe ſimulant, qui virtutem ipſam coinquinant, & qui ſatis nequeunt improbari; loquor de ea devotione, quæ ſine arte eſt, ſine fuco, quæ Deo uni placere geſtit, ejuſque agnoſcere ſtudet voluntates, ut illas adimpleat. Loquor de ſublimibus illi animabus &c. *Idem*.

Chriſtiani ſæpe præcipuum pietatis caput in exterioribus actibus collocant. Quemadmodum enim externa religionis ſpecies aliquid auguſtum, ac nitens habet, quod oculos perſtringit, & venerationem conciliat, eidem facile inhæremus, interioremque partem negligimus. Omnino opus eſt, ut Chriſtianus interior ſit, ſæpe ſeſe colligat, ut quid in corde ipſius fiat, quo ſpiritu animetur, quo affectu moveatur, quem ad finem ejus tendant conſilia, quid in actionibus ſibi proponat, intelligat, ne poſt multos exantlatos labores exiguum referat fructum. *Deſumptum ex moralibus ſermonibus*.

De cultu exteriori, qui Deo eſt defendus.

Si vera devotio noſtris tantum cogitationibus, ſtudiiſque pro acquirenda ſanctitate leges indiceret, cum nequeat homo mentis ſuæ profunditatem, & cordis ſinus ſcrutari, poſtquam culpa illi tenebras offudit, ferre ſemper ambigeremus, utrum a nobis lex adimpleta fuiſſet; vel nobis idolum virtutis effingeremus, ac putaremus jam ſanctitatem aſſecutos eſſe, ubi illius aſſequendæ conſilium iniiſſemus. Oportuit igitur, perfectam devotionem in exterioribus actibus æque ac interioribus ſenſibus conſiſtere, ut magis perſpicue cognoſceremus, quid nobis faciendum ſit, ac melius videre poſſemus, utrum illud factum fuerit a nobis. *Maimbourg ſermone pro feria ſecunda majoris hebdomadæ*.

Falluntur, qui putant Dei Filium interiorem tantummodo adorationem pro vera devotione popoſciſſe, cum inquit, veros adoratores in ſpiritu, & veritate adorare. Non inde ſequitur, te verum eſſe adoratorem, ſi in ſpiritu dumtaxat adoras; quamvis neceſſe ſit, & in ſpiritu adorare, ſi vis verus eſſe adorator. Qui extrinſecus tantum adorat, hypocrita eſt, Deum adorare quidem ſimulans, re autem vera non adorans: qui adorat ſolum in ſpiritu, eſt vere adorator, non verus, hoc eſt non perfectus adorator. Dei Filius præcipit, ſuadetque nobis exteriora devotionis opera, ut hæc ſint fidei noſtræ columen, juſtitiæque noſtræ ſubſidium, quam citra quamdam miraculi ſpeciem nec adipiſci, neque adeptam ſervare poſſumus niſi per eos actus, qui non ſint mere intellectuales, atque interiores: ea enim non debet ſolum intellectus noſtri ſpeculationes, mentiſque cogitationes, verum etiam cordis deſideria, affectuum motus, ſenſuum regere propenſiones. Vitium roboratur in nobis per externos licentiæ, & vanitatis actus: quomodo vero illud infirmare poſſumus, niſi exterioribus actibus pietatis, & religionis? *Idem*.

Exterior pietatis habitus non eſt negligendus.

Cum dicimus devotionem interiorem eſſe debere, & in corde, non ideo affirmamus exteriorem eſſe negligendam. Oportet enim, Tertullianus ait, ut exteriori quoque vacemus triplici ex cauſa; primo, ut completa ſit; ſecundo, ut ædificans; tertio, ut conſtans. Ut ſit completa; etenim omnem hominem perficere debet, ut ſit ædificans; non enim Deo ſolum, nobiſque, ſed etiam proximo debitores ſumus, qui a nobis bonum exemplum expectant: conſtans denique . . . . Quamobrem non ſatis celebrari poteſt exterior in precibus reverentia, exterior Sacramentorum frequentia, exterior eleemoſynarum erogatio; dummodo hæc omnia intra illum conſiſtant ordinem, qui nobis præſcribitur. Verum cum Apoſtolo addo, omnia ex corde, ac ſpiritu proficiſci debere: *In ſpiritu*, ita ut pietas, quæ oculis patet, non aliud ſit, niſi illius emanatio, quæ latet, & quam homines non intuentur. *P. Girouſt ſermone de vera falſaque pietate*.

Diligenter autem obſervandum eſt, non omne devotionis genus conditionum omnium eſſe proprium. Virtus in eo poſita eſt, ut rite muneribus noſtris perfungamur; at munera noſtra varia ſunt pro ſtatuum varietate. Aliter agere debet Eccleſiaſticus, aliter in ſæculari dignitate conſtitutus, aliter qui militiæ nomen dedit; aliter mater familias rei domeſticæ curam gerens, aliter ſanctimonialis in clauſtris; eaque diſtinctio ita neceſſaria eſt, ut quod aliorum ſanctitatem conſtituit, aliorum ſit damnatio, & interitus. Hæ ſunt, ut loquitur Evangelium, totidem arbores, quæ ſingulæ fructus ſuos ferre debent, ſed ſingulæ juxta ſpeciem ſuam: alioquin ſuccidendæ, ac in ignem mittendæ. *Idem*.

Duo devotionis genera.

In illis ipſis, qui ſolide adhærent Deo, duplex devotionum genus invenitur: aliæ enim ſunt aridæ, macie confectæ, triſtes, dolentes; non enim metu carent qui ſemper cum inquietudine, amaritudine, ac triſtitia conjunctus eſt, aliæ ſunt mites, hilares, jucundæ, deliciis affluentes, & gaudio refertæ; naſcuntur enim ex amore divino, cui, ut S. Auguſtinus aſſerit, ſemper comes adeſt ſuavitas, atque voluptas. Ideo Filius Dei in animam ſibi adhærentem ſuavitatem, ac lætitiam infundit, qua leniuntur omnes devotionis auſteritates, roboratur infirmitas, ſenſibilia gaudia contemnuntur, & pax, atque tranquillitas conſcientiæ confirmatur. *Maimbourg*.

Hic eſt nequitiæ mundi hujus effectus. Homo Deo obtemperaturus, atque ſalutem ſuam operaturus pietatem ſectatur: deinde nihil ignoſcitur illi, omniaque illius facta tamquam crimina redarguuntur; ex quo enim pietatem ſequitur, non licet illi ullum affectum, ullam imperfectionem habere. Hunc irreprehenſibilem eſſe volunt, & niſi fuerit, pietas

ipſa

ipſa inſimulatur. Nequitiam profecto, S. Hieronymus inquit, iniquiſſimam! Si enim pietas mundi cenſuræ eſſe debet obnoxia, ſaltem hæc mundi cenſura æqua eſſet: & niſi clementia uti vellet, ſaltem a juſtitia non recederet. Quorſum igitur hæc contra pietatem præjudicia? Quorſum hæ ſuppoſitiones, quibus tamquam proprium imputatur illi, quod ab ipſa quoque damnatur? Quorſum ſecretum hoc odium in eos, qui amplectuntur illam? Quorſum hoc ſtudium, quo integerrima facta, æquiſſimæque intentiones piorum hominum in ludibrium vertuntur, deprimuntur, veneno inficiuntur? quo bonæ eorum qualitates atteruntur, & malæ, ſi quando malum aliquod forte exciderit, exaggerantur? Numquid ita cum reliquis hominibus conſuevimus? & fides, qua Deo inſervire illi adnituntur, contemptum, odiumque noſtrum meretur. *P. Bourdaloue in veris ſermonibus ſuis. Adventu ſecundo. Sermone de Sanctitate*.

Devotione nonnumquam abutimur optatum finem conſecuturi.

Accidit non raro, ut re ſanctiſſima, qualis eſt pietas, atque devotio, abutamur: & utinam ſcandalum a S. Paulo prædictum, deploratumque non adimpleretur in nobis; quibus cum forte alia quælibet deſit via ad mundi hujus honores progrediendi, illuc pervenire contendimus ſpecie quadam vitæ caſtigatioris; utinam per hanc non aucuparemur opes, non compararemus amicos, & patronorum gratiam non ſtuderemus; utinam per hanc, vel potius in hac non lateret ſpes, atque conſilia tempore ſuo proferenda: ita ut hæc omnis pietatis fama non ad id unum referretur, ut negotium aliquod e voto cederet, ut cœptum aliquod ad finem ſuum deduceretur, ut illum nobis delinire, hunc fautorem adſciſcere conaremur; verbo, ut eam tueremur ſocietatem, commercium illud indignum ſuſtineremus, quod Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. deteſtatus eſt: *Hominum exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem*. Tunc dicine poſſet vel minimum Chriſtianæ pietatis adfuiſſe veſtigium? Hoc ſane eſſet rerum ſubvertere ideas, atque noſmetipſos fallere velle, ſi ita judicaremus. *Idem. Sermone de ſeveritate Evangelica*.

Phariſaica devotio eſt ea contemnere officia, ad quæ tenemur, ut quibus minime tenemur, bonis ſupererogationis operibus exerceamur. Mulier exempli gratia centies ad ſanctum Euchariſtiæ ſacramentum accedet; at nullam viri, nullam filiorum, nullam familiæ rationem habebit. Mortificabit, ſi vis, corpus ſuum, & ne unam quidem de corde ſuo victoriam reportabit; efficiet ut pro libidine ſua tota patiatur familia; ad aras proſtrata prolixas proferet preces, in cœtu vero aliorum nomini obtrectabit. Quid eſt hoc? Pietas phariſaica; Phariſæi quippe diligentiſſime ad ſuperſtitionem uſque ſervabant quaſdam traditiones, ac cæremonias parum neceſſarias, in quo omnem devotionem ſuam conſtituebant; cæterum omnia mandata negligebant. *Idem*.

Plurimi laudant pietatem, quam minime colunt.

Pietas, atque devotio eſſe debet anima omnium actionum noſtrarum, ſi eas Deo acceptas eſſe volumus. Hæc veritas, licet Dei verbo probata, apud homines non eſt ita rrcepta, ut non deſint, qui eamdem rejiciant. Quot occurrunt quotidie, qui, ut in irreligione ſua Chriſtiani videantur, fatebuntur, eos de ſanæ mentis uſu dejectos eſſe, qui pietatem, ac devotionem in pretio non habent, hoc eſſe bonum, ac virtutem, ad quam acquirendam præ cæteris adlaborandum eſt, Sacramentorum frequentiam, bonorum operum praxim ſummis encomiis eſſe celebrandam; vitam ad Evangelii normam recte inſtitutam, ac ſedulitatem in omnibus Religionis officiis rite adimplendis virtutes eſſe anima magna vere dignas; ſed ſingulis rebus ſuum adeſſe tempus; tunc ſe animum tracturos ad hæc munera explenda, cum negotia ſua in ordinem redegerint, cum familiam ſuam ſtatuerint, cum fortunas ſuas eo uſque provexerint, quo provehendas exiſtimant, quæ ubi fuerint abſoluta, tunc tandem ſerio dabunt operam, ut ſolide fiant devoti, virtutiſque ſectatores, at ante id tempus virtutem ſibi incommodam fore? *Sermo manuſcriptus*.

Cum vera, & ſolida pietas in eo poſita ſit, ut ſumma officii fide lex divina ſervetur, inde regula educenda eſt, ad cujus ſe trutinam ponderandus eſt totus ſtatus interior, tota devotionis ratio, tota vitæ forma. Omnes enim ſtatus, devotiones omnes, omniaque exercitia, quæ a munerum noſtrorum obſervantia recedunt, mala ſunt, quemadmodum explicite ſignificat Deus per S. Joannem Apoſtolum: *Hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus*. 1. Joan. 5. Hanc exequendarum Dei legum ſedulitatem ac præceptorum illius obſervantiam ſuſpiciens David exclamat: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*. Pſ. 118. Sancto huic Prophetæ cura hæc licet ſolertiſſima numquam ſatisfacere poterat, quæ quantumvis magna eſſet, ſentiebat ille tamen ſemper multo minorem eſſe illa, quam præſtare tenebatur. *De S. Martha. Tomo 2. Operum Aſceticorum*.

Nemo vere devotis melius ſuis muneribus perfungitur.

Ex quo Dei inſerviendi conſilium inimus, & quod idem eſt, ex quo devotionem amplecti incipimus, ſuaves ſumus, humani, juſti, humiles, officioſi: atque ſtatus noſtri officiis rite obeundis operam omnem impendimus. Nulla in amicitia conſtantia eſt, nulla bona fides in commercio, nulla probitas in vita, niſi virtuti, pietatique innitatur. Pietas bonum tribuit ſenſum, rectitudinem, diligentiam, prudentiam. Vera devotio hæc eſt, ad unguem ſtatus ſui munera obire. Plurima ſunt ea, ad quæ nos obligat commercium, ſocietas, ac varii vitæ ſtatus. Nihil majori laude dignum eſt, quam toto pectore, ac ſine ulla intermiſſione ad ſatisfaciendum illis incumbere; at quinam præ cæteris melius ſatisfaciunt, niſi qui devotionem colere incœperunt? omnes vitæ ſtatus percurre. Quis bonus eſt pater familias, bonus dominus, bonus judex, conſanguineus, amicus, ſubditus? Quænam verecundior femina, quis fidelior famulus, quis diligentior artifex? Quis promiſſionum ſuarum religioſior obſervator? Quis Domini Sacerdos vigilantior, & virtutum ſuarum exemplis utilior? Hæ omnes virtutes fructus ſunt chriſtianæ pietatis, ac veræ devotionis. *P. Croiſet in Conſiderationibus ſpiritualibus*.

Neque Deus, neque Evangelium urbanitatis improbat officia, ſed regit. Non præcipit, ut ſolitariam in deſerto vitam agamus, ſed ut quiſque in ſtatu ſuo vitam homine Chriſtiano vere dignam traducamus. Ita tantum abeſt, ut homines aſperos, inhumanoſque faciat, quod nulla res eſt, quæ magis quam pietas, atque devotio illos ſuaves, comeſque efficere valeat. Quotidie occurrunt exempla. Da mihi aliquem vitiis deditum; hic erit moleſtus, intractabilis, aſper, inurbanus, furens, malæ fidei, ad vindictam pronus, ac ad alienam tantummodo patientiam exercendam idoneus. Da mihi mulierem omni penitus pietatis ſenſu carentem; vana eſt, iners, erga filios dura, ancillis immitis, & viri ſui graviſſima crux. At ſi devotioni ſeſe illi dederint, jam manſueſcunt, æquioreſque fiunt, erga omnes liberales, muneribus ſuis attenti, in ſtatu ſuo honorabiles, exiſtimatione, atque totius mundi veneratione digniſſimi. *Idem*.

Ridicula eorum objectio, qui ajunt devotos in mundo nulli rei utiles eſſe.

Quam pudet, Domine, Chriſtianos audire dicentes, ex quo devotionem amplectimur, videlicet, ex quo ſecundum Evangelii præcepta vitam ducere incipimus, fieri moleſtos, graves, incommodos, inurbanos, ac nulli rei utiles! Numquid in mundo utiles eſſe non poſſumus, niſi pietatem abdicaverimus? neque felices, niſi Ethnicorum, impiorumque more vixerimus? Devotio non prohibet urbanæ ſocietatis commercium, non prohibet honeſta ſolatia, ſed nullum agnoſcit honeſtum ſolatium, quod Chriſtianum non ſit. Adhæc vetatne Evangelium, quominus bonorum noſtrorum conſervationi invigilemus, eaque licitis rationibus augere quæramus? Damnatne Evangelium ſollicitudinem providendi familiæ ſuæ, filios ad ampliores honoris gradus evehendi, prædiorum fructus colligendi, dignitatem ſuam cum honore & juxta æquitatis regulas tuendi? prohibetne ultro citroque communia vitæ civilis ſibi officia præſtare? Num ſcelus putat honeſtam animi relaxationem, modeſtum ornatum, qui genus, nobilitatemque veſtram maxime deceat? Nullo modo, ſed exceſſum tantummodo, cupiditatem, nimiamque damnat feſtinationem. *Idem*.

Hoc autem impii contra devotionem objiciunt. Quot devoti videntur vani, delicati, ac, ubi de honore agitur, proni ad iracundiam? quot, quorum devotio alitur ignavia, & qui proculdubio inutiles ſunt? quot quorum varium temperamentum, impolitumque ingenium honeſtorum hominum ſibi conflant invidiam, & virtutem minus amabilem reddunt? Certum eſt, craſſos eorum defectus, qui pietatem profitentur, anſam impiis præbuiſſe, ut ipſi pietati fidem abrogarent. Sed injuria devotioni accepti referuntur defectus, qui ex virtutis carentia proficiſcuntur. Quænam major injuſtitia, quam chriſtianæ pietati ea imputare delicta, quæ

da-

damnat, & velle, ipſam eſſe, quod illi ſunt, qui illius nomen oſtentant, & qui ſua mendaci devotionis ſpecie inſignia ſcelera fovent? *Idem.*

Animus non eſt advertendus ad eas irriſiones, quibus excipitur pietas.

Quot irriſionibus, inquit, non patent illi, qui virtutem exercent, ac ſeſe mancipant devotioni? Nonne pudet, ita in jocum traduci? Verum enim vero quorumnam irriſionibus devoti homines patent? Numquid eorum, qui honeſti ſunt, ac probi, quibus diſplicere ſemper malum eſt? Nequaquam; ſed impiorum, quibus placere non poſſumus, quin exiſtimationis noſtræ jacturam faciamus, & quibus diſplicere quædam eſt ſpecies honoris. Quis enim cordatus, ſi Chriſtianus ſit, irridere poſſit eum, qui Deum amat, qui legem ejus obſervat, qui ad illius præcepta ſuam vivendi rationem conformat, & qui poſt hanc vitam ſuppliciorum æternitatem metuens ad eam evitandam nihil intentatum relinquit? Sin autem impii dumtaxat, corruptique homines in jocum traducere poſſunt & religionem, & qui eamdem ſequuntur, numquid hoc nobis negotium faceſſere debet, ſi objectum ſimus irriſionis, vel melius dicam, invidiæ eorum? Hujuſmodi cenſura honori eſſe debet. *Idem P. Croiſet.*

Nemo accuratius, ac diligentius minoribus urbanitatis officiis perfungitur, quam qui indeſinenter vitæ chriſtianæ officia ſtudent explere. Dici poteſt, veram pietatem cum cordis rectitudine quemdam bonum ſenſum tribuere, qui diligentiſſimæ ſupplet urbanitati, & certum eſt, ex quo ſincere devotus, & pius es, te ſimul eſſe honeſtum, juſtum, officioſum, & ab omni avaritia remotum.

Falſa devotio commoda, & mitis.

Heu! arbitrarium nobiſmet fingimus ſuavis, commodæque devotionis ſyſtema, ſemper cum amore proprio conſentientis, ſemper cum prædominante affectu concordis, ſemper noſtro ingenio conformis. Hæc devotio eſt juxta cujuslibet ingenium conficta, quæ plurimum ex animi libidine pendet, & homines impellit, ut ſerviant Deo, non ut hic jubet, ſed ut illis placet. Minus quæritur virtus, quam laudes illi inhærentes; privilegiis illius frui deſideramus, quin meritum acquirere adnitamur: quoniam ſine prætextu errare non lubet, ex vera pietate mutuamur, quidquid amori proprio perſonam poteſt inducere. Deo quidem tribuuntur nonnulla cultus exterioris exercitia, at ſinuntur intrinſecus deſideria, ſæculique affectiones vigere; atque externa pietatis ſpecie, omnibus fucum faciente, protecti devote mollem vitam ducimus, ac tandem morimur inter angores, ac deſperationes, quas ſub vitæ exitum adeo craſſa gignit illuſio. *Idem.*

Devoti habitus, vel vanitas ex malo ipſorum ingenio, & inæquali vitæ ratione dignoſcuntur; diceres, devotionem eorum ex valetudine, vel bono, lævoque negotiorum ſucceſſu, vel etiam temporum varietate pendere. Affabiles, & inhumani prout ipſorum habitus fert; numquam illis acceptus eris, niſi eorum temperamentum, animique libidinem inveſtigaveris, & conſulueris. Non omnia opera bona illorum guſtui accommodantur; non enim omnia eumdem habent guſtum. Diſſimulatus affectus plerumque apud illos charitatis, vel alterius cujuſpiam virtutis occupat locum. Pietatis exercitia illis neceſſaria nequaquam videntur, niſi quatenus ipſis arrident; & chriſtianam virtutem in alias, aliaſque partes detorquentes facile eidem cor ſuum accommodant. Nihil amatur, niſi externa ſpecioſæ pietatis ſuperficies; ac ſenſim vera virtutis, ac devotionis idea obliteratur. *Idem.*

Veræ devotionis character in vita civili.

Vera pietas neque ſæva eſt, neque aſpera; urbana eſt, officioſa, affabilis, verum neque demiſſionem, politicas rationes, humanoſque reſpectus agnoſcit. Devotus homo nihil facere debet, ut hominibus diſpliceat: vult etiam virtus, ut ea, quæ ſecundum Deum illi placere poſſunt, minime negligantur. Facilitas iſta gratioſa, ſuave hoc ingenium, quo ſemper ignavarum animarum infirmitati parcere ſtudemus, non ſemper eſt generoſæ virtutis argumentum; immo timendum eſt, ne mera ſit philautia, & falſæ pietatis effectus. *Idem.*

Eſt etiam devotio quædam ætatis, decori, temporiſque. Effæta jam ſenectus quædam nobis obtrudit officia, quæ mundus quærit, & amat, ſine quibus eidem non facile placeas. Ætatis decor, familiæ rationes, repulſæ, irriſiones, contemptus, omnia morum reformationem ſuadent, omnia ad receſſum conclamant; hoc unum reliquum eſt, quod capiatur conſilii, & quod tandem cupiatur. Felices, ſi vel neceſſitate, vel contumelia ad præclaram hanc conditionem adacti cum ea ſinceritate, & cordis rectitudine, ſine qua Deo placere non poſſunt, eidem ſeſe devoverent. *Idem.*

Falſi devoti ad levem ſtatim injuriam exardeſcunt.

Quædam negligentiæ ſpecies, quam amor proprius modeſtiam nominat, quamplures celat defectus ſecretamque fovet ſuperbiam quæ a ficta pietate ſeparari non poteſt. Ad ſummum delicati in iis præſertim, quæ lædere videantur eam, quam de ſeipſis opinionem imbiberunt, parum excuſant, & minus adhuc ignoſcunt. Hinc in adagium quodammodo verſum eſt, ab irritato devoto, tamquam a peſte, cavendum; æterna eſt ejus iracundia, ultio vero eo acrior eſt, quo magis putat, in perſona ſua religionem ipſam laceſſitam fuiſſe, & ſe alios perſequi, eo quod injuſtitiam, alienamque nequitiam perhorreſcunt. Mirum profecto eſt, quod adeo craſſus error conſcientiam non agitet; at numquid minus mirum eſt, ut qui religionem vel ſolo nomine noverit, hunc errorem non videat? O Deus! in quos errores non labuntur? ſuperbia, ubi dominatur, in iis præſertim, quæ ad pietatem, ac religionem pertinent, numquam niſi integram adfert cæcitatem. Cordi ita ſatis eſt inveniſſe viam ea probandi, quæ ſibi arrident, atque blandiuntur, ut quidquid requiem ſuam perturbare poteſt, penitus oderit; & mens, quæ a corde ſe trahi ſinit, omnia tamquam infeſta putat, quæ ſibi auferre poſſunt errores, quibus lætatur; ac in eo tota eſt, ut ſeſe iiſdem conformet. *Idem.*

Quonam dedecore afficitur Chriſtiana Religio monſtruoſa hac immixtione, quę hodierna die adeo communis eſt mundanorum ſolatiorum, piarumque exercitationum! Heu, Domine! quænam ſanctitati legis tuæ infertur injuria? Quid? pietatis ſimulatio, ſtatis horis ad templum acceſſus eum excuſabit, qui totum fere vitæ ſuæ curriculum in alea, & otioſis conventibus tranſigit? Mundana hæc mulier, quam ad aras proſtratam vides, ea eſt, quam nuper ex ludorum Academia exeuntem vidiſti, ac brevi ad choreas, ac theatra ſe conferet. Devotio illius non ita facile auſteritatem induit; longa profanorum ſolatiorum conſuetudo illam circumducit; & ſuperficiali quadam pietatis ſpecie illam protegente in molli vitæ ratione, ac ſopore otioſo verſatur. Quamplures hodie ſe nactos putant artem cum Religione mundum, cum devotione mundi ſolatia, omnium voluptatum uſum cum Evangelicorum præceptorum ſeveritate conciliandi; ſimileſque populis in Samariam miſſis, qui modo ſe Aſſyrios, modo Iſraelitas ferentes, poſtquam Idolis adoleverant thura, verum Deum adorabant, patiuntur, mundum regnare, omnibus ejuſdem legibus ſeſe ſubjiciunt non ſine conditione leviſſimi cujuſdam tributi, ut ita dicam, quod Domino ſtatis horis ſeſe perſoluturos promittunt; hoc eſt, dummodo ſemel in die Chriſtiani videantur, ſe mundi ſectatores eſſe reliquo temporis ſpatio gloriantur. *Idem.*

Devotio iners, & otioſa.

Inertia ſæpe devotionis ſibi nomen vindicat. In oratione guſtum aliquem inveniunt, ac non ſentiunt, hoc eſſe laboris faſtidium. Receſſus non prodeſt niſi otioſorum devotorum inertiæ fovendæ. Devotionem reperiunt in non agendo; interim vero familia, res domeſtica, negotia, ſui ſtatus officia negliguntur, ac peſſum eunt. Immo eorum miſeratione ducuntur, qui res hujuſmodi curant; atque miſera illuſione interior collectio, a mundo diſceſſus, reformatio morum, pietas ædificans appellatur, quod noxia eſt ignavia, ſoporem atque cupiditatem inferens animæ. Vera pietas numquam otioſa fuit, novit actionem cum oratione conciliare. Qui ſolide pius eſt, præcipuam devotionem in eo conſtituit, ſi rite muneribus ſuis, licet moleſtiſſimis, acerbiſſimiſque perfungatur. Scit, perfectionem, quam a nobis exigit Deus, eam eſſe, quæ ſtatum noſtrum maxime decet; ille enim nos ad ſtatum hunc evocavit. *Idem.*

Devotio oſtentationis.

Communium officiorum obſervantia non eſt cum aliquo nitore conjuncta; alterius velatu contendendum eſt, atque ſublimior ſpiritualitas inquirenda. Poſtquam mundi auram aucupati ſumus, in pietate quoque cupimus effulgere; in ipſa modeſtia ſuperbiam quærimus, pietatis ipſius negotium facimus, in quo melius, quam in reliquis, niteſcere cupimus: oſtentatione tantum alimur: puræ, ſolidæque virtutes negliguntur, & pro ſolido ædificio dealbata ſolum ſepulchra ædificamus. Vir bonus, Propheta inquit, Dei legem in ſuo corde tuetur, neque illum oſtentat in manibus. Exteriora quælibet

bet virtutis exercitia ſunt laude digniſſima; verum niſi ex corde profecta fuerint, externa pietatis ſpecie decipiunt. Pietas, quæ ſeſe oculis prodit, non aliud eſſe debet, quam latentis indicium; & quomodo nulla fides viva eſt ſine operibus, nulla pietas vera eſt ſine hac fide. *Idem.*

Falſæ devotionis character.

Duri, ac imperioſi mores, amoris proprii artificium, cor ſuperbum, elata mens, corporis habitus molles, ac voluptuoſi, affectus perſonati veram quidem efficiunt imaginem plurimorum, qui devoti vocantur: numquam tamen veræ devotionis characterem efficient. Cum placuerit mundi ſectatoribus diſtinguere eorum defectus, qui ſe pios eſſe putant, a propriis veræ pietatis characteribus, videbunt nihil hac eſſe præſtantius, nihil æquius, nihilque magis hominum exiſtimationem, & honorem, quam veram, ſolidamque virtutem mereri. Fatemur, devotorum defectus veræ devotioni contumeliam intuliſſe. Quemadmodum, qui religioſam vivendi rationem profitebantur, deprehenſum fuit, parum eſſe mortificatos, ſui ipſius exiſtimatione tumentes, propriis ſententiis mordicus inhærentes, negotia ſua cupidius conſectantes, ubi læſi fuerint, ad iracundiam præ cæteris magis pronos, omnibus incommodos, ac ut plurimum ingenii aſperi, inhumanique; ſenſim hæc invaluit conſuetudo, ut nonniſi per has nebulas virtus proſpiceretur, & proſpectus adeo inſuavis illius peperit nauſeam. *Idem.*

Veræ devotionis character.

Undenam impotenter adeo contra devotionem hodie mundus invehitur, ita ut hodie ſit argumentum ſeveriſſimæ impiorum criticæ, & communis omnium fere mortalium cenſuræ? Inde ſane, quod non ſatis agnoſcitur, atque cum exteriori hypocriſi confunditur, quæ veræ pietati adeo inſignem adfert contumeliam, ac devoti nomen adeo infenſum efficit, ut aliquando pro injuria accipiatur. Nihil amabilius, nihil honoratius eſt vera pietate; hæc neque inhumana eſt, neque inurbana, neque auſtera, neque aſpera. Nequaquam poſita eſt in imprudentis zeli exceſſu; faſtum, atque oſtentationem odit; nullis vexatur ſcrupulis, affectatas ignorat ſimulationes, & ſemper ſibi conſtat. Æquitate ſibi mentem, cor vero ſuavitate conciliat, & quo humilior eſt, eo majorem obtinet reverentiam. Meritum ipſius ex hominum libidine, vagoque conceptu non pendet: ſolida virtus ejus principium eſt, Deus unus objectum, & finis. Tantum abeſt, quod novas conſectetur vias, quarum errore decipiatur, ut immo in uſitatioribus ſui ſtatus officiis tutam inveniat viam, qua ad ſummum perfectionis faſtigium contendat. Devotio urbanitatis & elegantiæ ſpeciem non adfectat, ſed ne minima quidem urbanitatis munera negligit, & quemadmodum ſemper cautius, ac diligentius operatur, ita nulla in re deficit. JESU CHRISTI ſpiritu animata internecinum amori proprio bellum indicit, & in eo ſemper verſatur, ut ſuos affectus mortificet. *Idem.*

Nullus in terris vitæ ſtatus eſt, in quo nobiſmet ab illuſionibus cavere non debeamus; ſed nullus eſſe videtur, in quo magis ſint metuendæ, quam ſtatus pietatem profitendi, ibi enim ferme communes ſunt. Nihil veræ pietati magis opponitur, quam amor proprius. Hic virtuti aufert, quidquid aſperum, auſterumque in illa invenitur, nobiſque illam exhibet ſub ea forma, quæ placet. Illuſio nimis craſſa eſſet, ſi palam affectus aliquis ſeſe proferret, ad quem contegendum amor proprius ſexcentos invenit ſpecioſos modos, qui devoti videntur, & ita belle agere novit, ut ipſum naturale ingenium, vel affectio chriſtianarum virtutum perſonam gerere videatur. Mirum profecto eſt, quod cum in ſexcentis Evangelii locis verus appareat chriſtianæ pietatis prototypus; tamen fictæ illius proponantur imagines, omnes proprii amoris induſtria delineatæ, qui quidem ſeſe rebus omnibus immiſcet, & ubique mutato tantum nomine, idem exercet imperium, vim eamdem obtinet, eaſdemque irrogat leges. *Auctor recens, & Anonymus.*

Non deeſt Devotio prorſus externa.

Quot devotionem in ſola bonorum operum exercitatione præſeferunt? Vita abdita, atque interior exſiccat, & extinguit omnem eorum fervorem; tumultu, ac luce opus eſt, ne langueat; multitudo, rumor eorum excitant devotionem, quæ tranquillitate ſopitur. Plura operari geſtiunt, & ſecum præclare actum putant, ſi ſua requies turbetur. Verum parumper hoc ſerio cogitemus; Numquid mera Dei gloria, proximi charitas, vocationis gratia cauſæ ſunt devotionis adeo activę, atque tumultuoſæ? Quam metuendum eſt, ne hæc jugis cordis effuſio in exteriora ſemper ſit interioris virtutis effectus? Corripitur Martha, quia in agendo nimis ſollicita; & tamen cupiendum eſſet, ut devotio noſtra ad agendum æque laudabilibus cauſis, ac illa Domini ancilla, ageretur. Avertat Deus, quod hic charitatem deterere audeam, & chriſtianum improbare zelum, qui in externa miſericordiæ opera ſeſe effundit. Pietas numquam otiatur; ſed Spiritus Sanctus eam ſemper ad agendum movet; receſſum amat, & in ipſa quoque actione interiorem collectionem tuetur. Periculum eſt, ne in ſublimi virtute magis famam virtutis, quam virtutem ipſam diligamus. *P. Croiſet, Tomo 2. Conſid. ſpiritual.*

Sine mortificatione interiori nulla eſt pietas: verum hoc effatum amori proprio non placet; ideoque quot ad illud eludendum prætextus, quot falſa præjudicia inveniuntur? Commoda amatur devotio: quidquid mortificationem redolet, & crucem, nimium videtur, & terret. Affectata mollities, ſui ipſius amor, ſuorum commodorum ad delitias uſque cupiditas, faſtidium rerum earum, quæ nobis minime arrident, monſtroſa mundanarum voluptatum piorumque exercitiorum ſocietas; habitualis tepiditas, omnia illuſioni huic velificantur. Dummodo ſpiritualis director adſit, vel ſæpe ad confeſſarium accedamus, hoc ſatis, ſuperque eſt, ut nos devotos credamus, & pie hac opinione decepti graviſſimas quaslibet imperfectiones toleramus; neque ab illis cavemus, ſi cum pietatis fama ſubſiſtant. *Idem.*

Quomodo falſa devotio ad ſalutem eſt periculoſa.

Cum falſum nobis devotionis ſyſtema concinnaverimus, craſſiores imperfectiones negligimus, & ſtatus hic eo metuendus eſt magis, quo magis ſtimuli tamquam tentationes habentur, & ſaluberrima conſilia tamquam errores, a quibus cavendum ſit diligentiſſime. Nihil pernicioſius illuſionibus eſt, ubi de pietate agatur, at nonne dici etiam poteſt, nihil infrequentius! Ea protecti exiſtimatione, quam fallaci modeſtiæ, virtutiſque ſpecie comparavimus, in ſecura vivimus tranquillitate, licet conſcientiæ ſtimulis torqueamur. Quiſnam ſtatus hoc infelicior? vera pietas ſolum eſt innocentiæ aſylum; fallax in inevitabile periculum ſalutis inducit. *Pater Croiſet, Tomo ſecundo Conſiderationum Chriſtianarum.*

Devotionis anima, & eſſentia in vero Dei amore, ſinceraque eidem inſerviendi cupiditate, conſiſtit; ita ut amor hic regnet in corde noſtro, efficiatque, ut Deum creatis quibuſcumque rebus anteferamus, melior vitę noſtræ pars ad eum referatur, & hic in nobis præcipuum, ac dominantem affectum conſtituat. Qui maximam hujus amoris partem habet, hic majorem habet devotionem. Hic autem amor, hæc devotio nequaquam poſita eſt in affectione, quæ ex oculis lacrymarum elicit fontem, & cordis motus cieat; immo neque neceſſarium eſt, ut imago humanitatis JESU CHRISTI in noſtra imaginatione depicta ſæpe in corde aliquem ſenſibilis amoris excitet motum. Hoc poteſt quidem pluribus eſſe utile; ſed poſſumus amare Deum ſine hac ſenſibilitate, ideoque poſſumus eſſe vere devoti. Hic igitur amor conſiſtit in amore veritatis, juſtitiæ, ſanctitatis, hoc eſt Dei juſti, Dei ſancti, Dei veri; in amore legis illius, & præceptorum ejus; in deſiderio ſeſe illis ſubjiciendi, eaque ſervandi, & ſtabilibus, ſolidis, æterniſque rebus adhærendi. *Eſſais de morale.*

Quomodo ſpiritus devotionis ſenſim amittatur.

Spiritus devotionis triplici ratione poteſt amitti; ſcilicet ſenſim redeundo ad naturæ ſtudia, fallacibus inſtitutis ſeſe corrumpi ſinendo, & prava exempla ſequendo. Homo Dei ſpiritu actus, & gratiæ illecebris percitus optima cum voluntate ſeſe devotioni mancipat, ſeu religionem amplectatur, ſeu in ſæculo vivat. Primum ſeſe penitus Dei ſervitio devovere, bona opera exercere, ſerio chriſtiana mortificatione affectibus ſuis ſubigendis invigilare proponit; quod quidem ſanctiſſimum eſt conſilium, & ab uno Deo profectum. Sed cum Deus ad eum probandum, quod non raro præſtat, ſenſibiles illi guſtus, & conſolationes aufert, quibus leniuntur pœnæ, quę in ſervitute illius inveniuntur; ille ſeſe videns his ſuavitatibus, ac cœleſtibus conſolationibus deſtitutum, ad terræ ſolatia revertitur, ac ſeſe inanibus terreniſque voluptatibus recreare contendit. Hinc ſibi effingit ideam nimis humilem devotionis, quę ſeſe accommodat, & longe a primo conſilio recedit. Sentit ille quidem redarguentis conſcientiæ lattratus; at illos diſſimulat: non enim au-